Dr. 11

DOCUMENTUM PASTORALE

ILLUSTRISSIMI

ARCHIEPISCOPI

DUCIS CAMERACENSIS,

Sacri Romani Imperii Principis &c.

Ad Clerum & Populum suæ Diœcesis,

De libro Gallicè scripto, cui titulus, *Deffensio Silentii obsequiosi &c.*



VALENCENIS,
Ex Officinâ HENRICANA. M. D. C. C. IX.

DOCUMENTUM
Paſtorale Illuſtriſſimi Archiepiſcopi Cameracenſis.

Franciſcus Dei miſeratione & ſanctæ Sedis Apoſtolicæ gratiâ Archiepiſcopus Dux Cameracenſis S. R. I. Princeps, Comes Cameraceſii, &c. Clero & Populo diœceſis noſtræ, ſalutem in Chriſto & benedictionem.

SParſus eſt undequaque, Fratres Cariſſimi, liber gallicè ſcriptus, *Juſtification du ſilence reſpectueux* &c. hoc eſt, *deffenſio ſilentii obſequioſi, ſive reſponſio ad Documenta Paſtoralia Illuſtriſſimi Archiepiſcopi Cameracenſis.* Videtis ipſo libri titulo ſcelus manifeſtum & capitale contineri. Perduellionem ipsâ, ut ſic loquar, fronte ſignatam præfert. Qui ſilentium obſequioſum nuper ab Ec-

clesiâ tanto molimine damnatum deffendere aggreditur, is audet damnationem ab Ecclesiâ decretam reprehendere. Nolite igitur blanda tentatoris verba auribus admittere ; draconem hunc esse credite, qui vocem agni mentiatur.

pag. 841. Frustrà verò Scriptor ille affirmat, *non esse Ecclesiam, quæ formulæ jusjurandum exigat... solum esse summum Pontificem cum aliquibus Galliæ & Belgii Episcopis.* pag. 839. Adeòne leve ipsi videtur quinque Sedis Apostolicæ Constitutiones ab omnibus Galliæ & Belgii Episcopis per annos 60. receptas abjicere ac repudiare ? Præterea idem scriptor, qui negat tam confidenter *Ecclesiam esse quæ formulæ jusjurandum exigat*, quique ita se magnificè effert, quasi tribus suis voluminibus omnia argumenta diluerit, istud totius rei caput ne ausus est quidem unquam attingere.

Idem ille dum tam confidenter disputat, ferre non potest eam, quam adhibuimus in loquendo fiduciam. At quo tandem orationis genere uti vult Episcopum, cum ipsa Constitutionum ac Brevium sanctæ Sedis, ipsa deliberationum à frequentibus Cleri Gallicani cætibus habitarum verba repræsentat ? Hoc avertat Deus, ut in nobis spem ac fiduciam nostram collocemus, quam ponimus in promissis Ecclesiæ factis.

Excandeſcit quod Janſenii deffenſores *ſectam* appellaverimus. Quo igitur pacto vult, ut dociles Eccleſiæ filios diſcernamus ab iis, qui dicere non dubitant id quod ipſe dixit: *Silentium obſequioſum omninò ſatis eſſe demonſtratum eſt, atque ea demonſtratio manebit, quæcumque deinceps Conſtitutiones ac Mandata promulgentur.* pag. 27. pag. 249.

Sed antequam rem ipſam aggredimur, operæ pretium eſt, ut lector æquo animo attendat ad eam quam ſubjicimus deſcriptionem illius ſectæ, quæ dum loquitur adeò confidenter, Epiſcopos ad ſilentium adigere cogitat; ex hac quippe deſcriptione æſtimari controverſia noſtra debet. Coaleſcit illa ſecta & conflata eſt ex duplici Theologorum genere. Pars eorum longè maxima formulæ ſubſcribit, pars minima quæ formulæ non ſubſcribit, abſolvitur hominibus nullius nominis ſeptem aut octo, qui in Hollandiam eâ mente confugerunt, ut adverſus Eccleſiam impunè poſſent maledicta jactare.

Si eos qui non ſubſcribunt audire placet, illi qui ſubſcribunt viri ſunt *honeſti atque urbani*, ut eos Arnaldus appellabat, hoc eſt, flexibiles & in quamcumque partem torqueri faciles, qui

tum se maximè prudentes esse existimant, cum suæ tranquillitati conscientiam, & fortunis caducis causam religionis posthabuerint. Illi *jam ab annis* 30. *aut* 40. *non admittunt, nisi mendacia, perjuria, dissimulationis & hyprocrisis actus.* Quidquid jubentur obsignare obsignant, jurant quidquid jubentur jurare, sic tamen, ut suum jusjurandum referant ad nescio quam fidem, quam ipsi certo ac definito nomine appellare non sustinent. Ubi se urgeri sentiunt, significant suam illam fidem nihil esse præter obsequium quoddam & observantiam, quam concedunt probabilitati merè externæ, qualis oritur ex Ecclesiæ authoritate. Hanc fidem ut constituant, mirum est quot adhibeant comparationes. Aiunt eodem planè modo credi Jansenii librum esse hæreticum, quo quis matri narranti credit hunc hominem parentem suum esse. Miram sanè atque indecoram comparationem, quâ subvertitur id ipsum quod stabiliendum erat. Enimverò nonne posset quispiam rationibus gravissimis ductus, intimâ mente dubitare, an eo sit patre, quo esse vulgò creditur? Num, qui dubitationem ejusmodi suscepit, quæ rationi adeò congruat, quamque ipse exuere prorsus non queat, jurare recla-

Epist. Epis. ad Episc. p. 164.

mante conſcientiâ poſſet, ſe eâ de re minimè dubitare ? Sed hos *urbanos viros* iterum audite. Modò facti Janſeniani fidem comparant cum fide illius diſcipuli, qui magiſtro præcipiente credit prædeterminationem phyſicam aut realem Scoti diſtinctionem, eâ nimirum lege, ut cum rem ipſam per ſe dijudicare poterit, expendat num ab illius ſcholæ magiſtro inductus fuerit in errorem. Modò afferunt exemplum militis, qui bellum quod ſui Principis juſſu gerit, juſtum eſſe ſtatuit, quamvis ſit manifeſtum in unoquoque bello alterius partis milites hanc belli juſtitiam falsò ſtatuere. Modò confugiunt ad exemplum hominis hoſtiam adorantis, qui ſic ſe gerit quaſi eam eſſe conſecratam poneret, quamvis argumentis, ut ipſe quidem exiſtimat, firmiſſimis adductus ſibi perſuaſerit eum qui Miſſam videtur celebrare, hominem eſſe nequam & deceptorem, qui Sacerdotis habitum gerat cum Sacerdos non ſit. In his omnibus exemplis, animus verè incertus manet, nihilque habet præter graviſſimam quamdam probabilitatem. Si valent hæ comparationes, non erit Janſenii factum niſi admodum probabile ; jam verò ſi non eſt niſi probabiliter verum, erit quoque pro-

babiliter falsum, supereftque opinioni factum illud neganti gradus aliquis probabilitatis. Illud si datur, dici necesse est quinque Constitutiones, Brevia, Mandata cum non sint nisi probabiliter vera, esse & probabiliter falsa & Pelagiana, si proprio atque obvio sensu accipiantur. Nam si probabile est Jansenii textum esse tam purum & tam antipelagianum quam est textus S. Augustini, est quoque probabile, textum Constitutionum, Brevium, ac Mandatorum, qui textus Jansenii textui planè contradicit, esse hæreticum; quod si est, erit quoque probabile Ecclesiam per summam vim ac tyrannidem extorquere perjuria, quibus approbentur Constitutiones illę prorsùs Pelagianæ. Deinde etiamsi Constitutiones Pelagianæ non essent, foret illud certè manifestum, Ecclesiam vim ac tyrannidem adhibere, ut ministros suos cogat jurare in vanum, atque eo jurejurando affirmare opinionem probabiliter falsam, & quidem *de facto nullius momenti*. Eò nimirum tendunt omnes illæ inanes atque indecoræ comparationes, quibus pars sectæ numero maxima vult jusjurandum eludere, & conscientiæ stimulos opprimere per summam atque inauditam in Theologia morali laxitatem;

Quid verò pars ejusdem sectæ minima reponit ad comparationes ejusmodi? *Subtilitates & argutiæ veritate Christianâ indigna. Mendacia, perjuria dissimulationis & hypocrisis actus.* Jam quid ait pars maxima de paucis illis, qui in Hollandiam confugerunt? Eos verò damnat, dum fatetur Ecclesiam ipsam esse, quæ jusjurandum imperet, hoc illi obsequium deberi, quis quis non obsequatur, esse perduellem. Quare hi illos accusant arrogantiæ, pervicaciæ, perduellionis nefariæ adversus Ecclesiam, illi verò his *perjurii* atque *hypocrisis* crimen obiiciunt.

Deffensio Theologor. p. 490. Epist. Episc. ad Episc. p. 164.

Unde autem fit, ut duo ista hominum genera, quorum alteri alteros tantis conviciis insectantur, nonse tamen horreant mutuo? imò undè fit, ut homines illi adeò conjuncti sint inter se, atque ad eandem causam tuendam tantâ animorum contentione conspirent? Hoc nimirum ipsos reconciliat & reducit ad concordiam, quod tam ii qui se adduci patiuntur ut subscribant, quam qui audent non subscribere formulæ adversus Jansenium præscriptæ, omnes æquè Jansenii systema totamque illius doctrinæ seriem amant & amplectuntur. Ea series tota posita est in statuendâ delectatione indeliberatâ, quam *necesse sit* ut

voluntas nostra sequatur in omni seu bono seu malo actu, quia eam hęc delectatio & prævenit *indeclinabiliter*, *& insuperabiliter* determinat ad actum hunc ipsum bonum malumve, ad quem ipso temporis momento inclinat. In illam doctrinæ seriem omnia Jansenii dogmata confluunt; in illud veluti punctum omnes ejus discipuli, quamquam in cæteris diffidentes, mirè conspirant. Quamvis hi rebellionis in Ecclesiam illos accusent, illi vicissim hos perjurii atque hypocrisis arguant, bellum istud civile atque intestinum nihil de summo utriusque partis studio ad communem hujus systematis causam fovendam imminuit; quamlibet se mutuis criminibus lacessant, sunt tamen conjunctissimi. Qui Jansenii textum damnant ut hæreticum, qui eumdem ut hæreticum damnare se posse negant, pari studio deffendunt delectationem illam, quâ totum Jansenii systema continetur; nihil est quod non alteri alteris indulgeant, & condonent, modò irrideant gratiam sufficientem quæ non satis est, & potestatem proximam quæ semper remota est ubi necessitas urget; modò repudient quasi Pelagianum, illud dogma quo statuitur vera ac sincera Dei voluntas omnes homines ad salutem

adducendi, modò credant gratiam non esse veram Christi gratiam, nisi quatenus est quædam delectatio, quæ voluntatem nostram necessariò determinet eâ illecebrâ, quæ indeclinabilis sit atque insuperabilis. Id modò teneatur, modò illa non relinquatur de delectatione doctrina, peccata omnia facilè condonantur. Et numerus major suam minori rebellionem, & minor numerus sua majori perjuria condonat ac remittit. Ita compensantur & exæquantur omnia. Delectationis hujus fide omnia mundantur, omnia abstergentur. Affertur ex Hollandiâ liber aliquis, quo *virorum* illorum è sectâ *honestorum* hypocrisis & perjuria commonstrantur? honesti illi viri hujusmodi libro profligati, ne videntur quidem persentiscere quantum in ipsos ex eo dedecus atque ignominia redundet, imò librum admirantur, & summis plausibus excipiunt, quasi non intelligerent eo se damnari penitùs ac revinci. Satis habent illud dicere, Ill.um Archiepiscopum Cameracensem nihil habere quod possit ad illius libri argumenta reponere; neque id cogitant sua pluris interesse quam Illust. Arch. Cameracensis, ut liber ille refellatur. Interea exules illi & fugitivi, qui tam acerbè ac

protervè ſcriptis invehuntur, manſueſcunt ſcilicet erga alios, etiam dum eos perjuros atque hypocritas appellant. Fruuntur hominum illorum urbanorum gratiâ, qui perjurio perpetrando illud ſunt conſecuti, ut ſe procellarum periculo ac jactationi ſubducerent, alteri audaces & præfidentes nihil non experiuntur, quamlibet aleam ultrò ſubeunt, ut ſectam ipſam ſcriptis defendant. Alteri contrà molliores ac faciliores, tolerant ultrò atque admittunt omnia, ut ſecuri poſſint inter homines verſari, atque adeò tela impendentia depellere, & cauſam communem ſervare ac tueri. Utroque iſto hominum genere ſecta æquè indiget. Scriptores aliquos poſtulat violentos ac præferoces, qui imponant populo, & famam concilient, poſtulat & patronos flexibiles, qui obſequantur tempeſtati, & ſummæ moderationis ſimulatione poſſint tueri ac protegere, ſuum illud tam carum ſyſtema, quod vocitare amant *cæleſtem S. Auguſtini doctrinam.* Sua ſibi invicem maledicta beneficiis mutuis compenſata libenter condonant.

Atque hæc eſt illa ſecta, quæ Eccleſiam debellare ac de eâ triumphare cogitat, etiamſi fateatur ipſa ſe neminem habere præter perjuros atque hypocritas, ſi

feptem octove nullius nominis Scriptores exceperis, qui in Hollandiam confugerunt ut malis libris Ecclesiam lacessant. Verum illud negari non potest, eos qui adduci non possunt ut formulæ subscribant, qualis est ille *deffensor obsequiosi silentii*, longè levius peccare, quam plures alios qui subscribunt. Illi quidem certè quæ sint propositis consequentia, vident acutiùs, & quamquam errant, sunt saltem in errore suo tenendo magis ingenui ac fortes. Alii verò quod obsequi videntur Ecclesiæ, id non nisi dissimulationis & hypocrisis actibus effecerunt. Ipsi non audent evolvere atque explicare quam indignè jusjurandum contorqueant; dum deditâ operâ profitentur à se damnari Jansenii textum, tenent nihilominus illud systema delectationis indeclinabilis atque insuperabilis nostræ voluntati, quo systemate tota Jansenii doctrina manifestè continetur, ex quo necesse est quinque propositiones deduci, quod solum potest ab Ecclesiâ verè fuisse damnatum. Illi verò eò sunt intrà Ecclesiæ sinum metuendi magis, quod metui nolunt, atque omnia decreta per simulatam modestiam eludunt, & inania reddunt atque irrita; tum ipsò numero, & illo obsequio, quod vulgus veram docilitatem

interpretatur, apti sunt ad mentes omnes credulas pertrahendas in errorem.

Quæ horrenda descriptio cum ex ipsius sectæ libris desumpta sit, quis non jure existimet novum hunc Scriptorem debere saltem modum aliquem in scribendo & lenitatem præ se ferre ? Verum fallimur, nequaquam placet ipsi moderatio. Nimirum personam sustinet eorum qui minore sunt numero, quique perfugium hoc jam unum habent, ut cum summâ tum pervicaciâ tum acerbitate in quoslibet invehantur. Nullis Ecclesiæ principibus parcit. *Illis*, inquit,
p. 696. *Episcopis qui huic cœtui interfuerunt*, nimirùm anno 1660. *imprimitur probrum ac dedecus, & quidem sine ullo emolumento, si tribuitur iis sensus ille, quem verba ab ipsis adhibita exhibent ac præ se ferunt.* Tum addit : *atque illud pariter dixerim de expositione scriptâ ab Ill. de Marcâ, quâ expositione error idem planiùs distinctiùsque continetur.* Fatetur itaque scriptor ille cætum anni 1660. *planè ac distinctè* docuisse infallibilitatem hanc de quâ disputamus, cætum verò anni 1656. in suâ *expositione* doctrinam eamdem *planiùs distinctiùsque* tradidisse. Atqui & cætus anni 1656. Episcopis 40 & cætus anni 1660. Episcopis 45. constabat. Hi

sunt Episcopi 85. quibus si addantur viginti admodum ex secundo ordine ad hos cœtus delegati, qui paulò post ad primum ordinem evecti sunt, erunt omninò centum Episcopi & ampliùs qui doctrinam hanc *planè distinctèque* traditam suâ subscriptione firmavere.

Mox videbimus epistolâ scriptâ anno 1650. ab Episcopis 85. ut ab Innocentio X. postularent Janseniani libri damnationem, atque aliis cœtibus annorum 1653. 1654. 1655. & 1675. prorsùs idem fuisse pronuntiatum. Præterea noster ille adversarius fatetur omnes Episcopos, qui formulam approbarunt, atque eos præsertim qui postremam constitutionem accepere, statuisse Ecclesiam in eâ re esse immunem ab erroris periculo, cum *causam finitam* esse decreverunt. Tot Episcoporum autoritas illud saltem ab hominibus è sectâ deberet impetrare, ne sententiam hanc nostram nobis singularem esse dicerent, & ab aliorum sententiâ discrepantem: imò tantâ autoritate commoveri aliquantulum novum illum scriptorem oportuit. Sed non ille proptereà deterretur: rem totam bellè sibi videtur expedire, cum ait, *Episcopis imprimitur probrum ac dedecus, & quidem sine ullo emolumento, si ipsorum verbis tribuitur*

p. 878.
p. 696.

sensus ille quem ea exhibent ac præ se fe-
p. 748. *runt etiam planè ac distinctè.... Inanem verborum pompam*, addit idem scriptor: Cætus ille *miscet ac turbat omnia, jus & factum confundit .... facit ut jure ipsi tribuatur hic error, ubi solum attenditur quid ipsius verba per se significent.....*
p. 1254. *in his casibus omnia pendebant ab homi-*
p. 1258.
p. 1260. *num quorumdam nutu atque arbitrio..... Episcoporum socordia*.... hanc* in textibus dijudicandis infallibilitatem *eorum deliberatio ponit, quod unum satis est, ut ejusmodi monumentis, quæ tam importunè simplicium auribus ingeruntur, adimatur omnis autoritas.... dissimulatur sedulò deliberationes istas omnes nullo alio fundamento niti, quam immani Jesuitarum audaciâ, atquè adeò quidquid in his actum est, Jesuitis potiùs autoribus quam Clero*
p. 1261. *tribui oportere...... Alterum sanè ex his duobus eligi patiemur, aut hanc deliberationem niti nefariâ quadam calumniâ, aut ponere hæresim...... Utrumvis eligat, certè illius cætûs deliberatio majorem au-*
p. 1262. *toritatem non habebit.... Episcopi, quorum plerosque notum est nihil in hoc toto negotio præter sua commoda spectasse .....*
p. 1009. *ridiculam Ill. D. de Marca eo in cætu regnantis pertinaciam in illo suo dogmate deffendendo, jus à facto sejungi non posse.....*

Qui

Qui præsul suæ dignitatis oblitus se Jesuitis tradiderat, ut ipsius operâ illi suum odium suasque inimicitias explerent. Idem scriptor de cœtus anni 1660. deliberatione : *Hæresis est manifesta*, inquit, *primis fidei fundamentis apertè repugnans; vel certè voluntas est adeò immanis ac barbara, ut illa Episcopis imputari sine summo ipsorum dedecore non possit. Atqui necesse omninò est, ut horum alterutrum fateatur, qui voluerit cœtus illius verba proprio atque accurato sensu accipere.* p. 1276. p. 749.

Verùm fortaſse scriptor ille qui Clerum Gallicanum adeò despicere amat, erit adversùs Apostolicam Sedem moderatior, & eam aliquâ observantiâ colet. Ipsum, Fratres carissimi, loquentem audiamus.

Ea tum erat, inquit, *summorum Pontificum loquendi ratio; jam verò sua Brevia ac Decreta replent diris atque execrationibus in eos qui Dei metu & conscientiæ legibus prohibentur, ne ipsorum voluntati temerè in omnibus obsequantur. . . . . In Bullis id semper actum est sedulò, ut miscerentur & confunderentur hæ quæstiones, quas summus Pontifex Clemens XI. non magis explicuit, quam sui decessores . . . . Bullam edidit conviciis refertam . . . verba Constitutionis vel acerbissima, & quæ minimè omnium possint excusari .... incer-* p. 348. p. 1243. p. 859. p. 908.

næ atque invidiosæ criminationes, quibus facilè patet errorem summo Pontifici oblatum esse ab hominibus odio atque invidiâ
p. 911. *furentibus..... Clemens XI. erravit de Clementis IX. Brevi..... incerta decisio ......*
p. 926. quâ *nihil definitur.*

Superest ut videamus num saltem ille scriptor æquior futurus sit erga Concilia œcumenica. Quia non potest non sentire Concilium Chalcedonense & quintum Concilium pro nobis omninò facere,
p. 269. nihil non molitur ut eorum autoritatem elevet ac deprimat. *Episcopi impotentes ac*
p. 270. *furore perditi*, inquit de Chalcedonensi Concilio. *Agendi ratio tam abhorrens....*
p. 271. *injusta, delira, ac ridicula...... Si repu-*
p. 272. *diata non fuisset tam æqua postulatio, non habuisset sæculum sequens illas tam funestas de tribus capitulis controversias.......*
p. 273. *Quid aptius ad hoc Concilium afficiendum dedecore, quam si tribuatur ipsi ratio tam ridicula canonumque legibus tam contra-*
p. 274. *ria? ... iniquitas manifesta .... furiosæ de-*
p. 276. *clamationes.* Jam de quinto Concilio:
p. 302. *pessimam*, inquit, *calumniam*, *miserum*
p. 303. *argumentandi genus. Cupiditas & cæcitas nimia, quâ illi Concilio autoritas omnis adimeretur &c... Id qui volunt, manifestè*
p. 303. *quintum Concilium afficiunt dedecore.*
p. 338. *Mirum verò non deberet videri, quod in*

illo Episcoporum Orientalium Concilio anathemata adversùs tria capitula ultrà fines legitimos extensa fuissent, atque in tanto animorum ardore Catholici & Nestoriani nullo discrimine habiti. Quare ubi Concilium œcumenicum explicari proprio ac nativo sensu non potest, quin sectam illam damnet, necesse est, si scriptorem illum audimus, ut dicatur is *manifestè Concilium afficere dedecore*, qui illud religiosè proprio ac nativo sensu intelligit. Tum verò secta illud Concilio condonat, ut ejus honori consulatur ijs contortis interpretationibus, quæ claram atque apertam ejus definitionem eludant; nativus autem Concilii sensus planè repudiandus est, exclamandum est, *cupiditas & cæcitas nimia, quâ illi Concilio autoritas omnis adimitur.*

Post quam audivimus ea convicia quæ scriptor ille congerit in frequentes Episcoporum cœtus, in Apostolicam Sedem, in Ecclesiam universam, nonne par est ut ea quibus nos lacessit, æquis animis accipiamus? *Judicia tam atrocia, tam ca-* p. 990.
lumniosa, ut tolerari non possint.... Cæci- p. 992.
tas incredibilis, animi sensus, quem exhorrescere quisque debet...... Mens falsi p. 1099.
amans..... ne intelligit quidem qua res veniat in controversiam.... Mens ita obtusa p. 1085. p. 1188.

p. 1369. *atque hebes ... omnes sanè sophistarum ar-*
tes exhauriat. Sit novus sæculi Appollina-
p. 27. *ris, novusque Julianus ..... animi impoten-*
p. 122. *tia nimium cæca .... sophisma crassum ......*
p. 242. *plurima colligit & coacervat, ut fucum fa-*
p. 150. *ciat imperitis ... parum veritatis, parum*
p. 316. *bonæ fidei .... homines omnes existimat de-*
p. 328. *ludi à se facilè posse ..... effugium inau-*
p. 528. *ditum ..... obscurat absque ingenuitate .....*
p. 541. *omne perfugium suum habet in calumnian-*
p. 606. *do ..... favet iis opinionibus, quibus Mo-*
narchiæ fundamenta labefactantur.....
p. 705. *Ejus argumentatio tota nititur fabulis ac*
p. 895. *commentis.... Judicium tam atrox ... adeò*
calumniosum .... tam horrendum, tam te-
merarium .... absque ullo Dei metu .....
p. 861. *à primâ pagellâ ad ultimam usque linea*
p. 946. *nulla est, quâ non ratio ipsa turpiter læda-*
p. 947. *tur..... Invidiosa calumnia .... argumen-*
tandi ratio tam contraria rectæ rationi, &
p. 958. *naturalis æquitatis legibus ... immoderatio*
p. 953. *incredibilis .... Consilium schismaticum....*
quæ immoderatio, quæ animi impotentia,
p. 954. *quis furor? .... Quemquam tam incredi-*
p. 960. *biliter abuti ratione? .... insultat ... ama-*
ra atque exaggerata, declamationes ....
p. 974. *quidquid de nostrâ controversiâ scripsit,*
nihil aliud est quam sonitus verborum ina-
nis nullâ subjectâ re aut sententiâ. Benè
prorsùs ac præclarè nobiscum agi arbitra-

mur, Fratres Cariſſimi, qui *digni habiti ſimus* hæc conviciorum plauſtra, cum Eccleſiâ Chriſti ſponsâ atque has *contumelias pati.* Unum illud opponemus huic ſcriptori, quod Petiliano S. Auguſtinus. *Proinde ſi & ego tibi vellem pro maledictis maledicta rependere, quid aliud quam duo maledici eſſemus, ut ii qui nos legerent, alii deteſtatos abiicerent ſanâ gravitate, alii ſuaviter haurirent malevolâ voluptate? Ego quando cuique vel dicendo vel ſcribendo reſpondeo, etiam contumelioſis criminationibus laceſſitus, quantum mihi Dominus donat, frænatis atque contritis vanæ indignationis aculeis, auditori lectorive conſulens, non ago ut efficiar homini conviciando ſuperior, ſed errorem convincendo ſalubrior.* Contr. Petil. l. 3. c. 1.

Potuiſſemus quidem homines è ſectâ verbis aſperioribus excipere, cum Apoſtolus Tito, aquè adeò Epiſcopis omnibus præcipiat; *increpa illos durè, ut ſani ſint in fide.* Tit. 1: 13. Potuiſſemus & S. Auguſtini, cujus manſuetudinem nemo unquam requiſivit, verba hæc uſurpare: *damnata ergo hæreſis ab Epiſcopis non adhuc examinanda, ſed coercenda eſt a poteſtatibus Chriſtianis.* Op. imp. l. 2 num. 104. Sed nullam vocem aſperiorem adhibuimus, niſi cum ad deffendendam Eccleſiæ cauſam neceſse ha-

buimus repræſentare illa verborum fulmina, quæ paſſim occurrunt vel in Sanctæ Sedis Conſtitutionibus, vel in Cleri Gallicani comitiis, vel etiam ſcriptis hominum è ſectâ, quorum alii alios condemnant.

Arroget igitur ſibi ſcriptor ille victoriam, & ſuo libro id ſe effeciſſe glorietur, ut ſilentium obſequioſum omni crimine liberet. An ille de Epiſcopis, de Chriſti Vicario, de immobili Petri Sede, de Eccleſiâ universâ triumphum agere cogitat? Falſam verò ac probroſam victoriam! Nos quidem non timemus, ne unquam vincamur cum Eccleſiâ Chriſti, adversus quam *portæ inferi non prævalebunt* unquam. Ille nullius nominis ſcriptor vel maximè importunam præ ſe ferat arrogantiam adverſus omnes Eccleſiæ Paſtores; appareat in ejus ſcriptis illa acerbitas, illa effrænata violentia, quam ſibi homines è ſectâ propriam ac perpetuam fecere, & quo veluti ſigno certiſſimo novatores dignoſci ſolent; habeat ille quoſdam inter ſuos, qui nimium creduli & ſuarum partium ſtudio flagrantes ipſum admirentur, qui illius ſcriptis plaudant, noſtra ne velint quidem attingere; dicemus idem quod Juliano dicebat S. Auguſtinus: *Et tamen vulgi judicium re-*

Math. 16. 18.

L. 6. c. 11. n. 43.

formidas, ubi tam clamosos suffragatores invenire potuisti. Intelligis omnes eos qui Ecclesiam Catholicam amare jam à primâ ætate docti sunt, etiam cum in tuis scriptis legendis erunt curiosi, nihilominus sic animo paratos esse, ut detestentur atque horreant ejusmodi spectaculum tantæ offensionis plenum, quo Sanctę Sedis & tot Episcoporum adversus silentium tuum obsequiosum conspirantium autoritatem contemnis & conculcas.

Nos verò scriptorem istum tam ferociter exultantem comprimere & frangere possumus, si hoc unum adduxerimus, quod nobis ultrò concedit. *Nemo unquam quamlibet se torqueat, ut formulæ fulcimen aliquod & firmamentum subministret, ullum reperiet aliud, quam infallibilitatem Ecclesiæ.* Addit etiam alio loco, *infallibilitatem Ecclesiæ in factis dijudicandis solum esse legitimum principium, quod usurpari possit, ad imperandam absolutam facti fidem.* Imò & illud pronunciare non dubitat : *Nihil est dignius Præpositis Ecclesiæ, quam ut hoc instrumentum abjiciant, neque eo utantur amplius, quod quidem & fuit hactenus tantùm lapis offensionis & petra scandali, atque occasio sanctissimi Dei nominis sexcenties violandi,*

p. 1360. 1361.

p. 1283.

p. 848.

& erit semper in posterum, quamdiu Ecclesiæ in factis dijudicandis infallibilitas non magis erit decisa quam nunc est. Si scriptorem illum audimus, vel necesse est hoc *firmamentum* dare formulæ, vel

p. 249. *silentium obsequiosum satis esse demonstratum est, atque ea demonstratio manebit quæcumque deinceps Constitutiones ac Mandata promulgentur.* Hæc est provocatio omnium maximè tum arrogans tum contumeliosa, quæ possit Christi Vicario atque Episcopis cum eo conjunctis offerri. Scriptor ille nullum aliud vult superesse formulæ præsidium ac firmamentum, præter illam quam nos deffendimus infallibilitatem. Potest ne illud verè confidere futurum, ut Ecclesia ab illâ formulâ discedat, ac veluti pedem referat ab illo proposito, quod tam constanter ab annis quinquaginta sine ullâ intermissione deffendit? Nonne intelligit non commissuram esse Ecclesiam, ut formula à se prescripta careat *uno illo firmamento* quod illi dari potest, & quo si careat, necesse est ut ipsa labatur & concidat quasi tyrannica & quæ deffendi ampliùs non possit? Mirum profectò videri non debet, quod scriptor ille ignotus, cui nihil inausum est aut intentatum, audeat & Apostolicas Constitu-

tiones & Mandata laceſſere cum ipsâ formulâ, quæ ſuam ab iis autoritatem habet. Sed ipſe debet ne mirari, quod formulæ tribuamus unum illud quod habere poteſt *firmamentum*? Quiſquis vult formulam hanc, atque adeò Eccleſiam à quâ illa ſancita & præſcripta eſt deffendere, vel fatentibus hominibus e ſectâ, nullum aliud ad Eccleſiæ cauſam adverſus ipſos tuendam *firmamentum* habet, præter eam quam nos deffendimus infallibilitatem. Quare fatentibus hominibus è ſecta, quiſquis *Conſtitutiones Apoſtolicas & Mandata* proterere non ſuſtinet, ſummi Pontificis atque Epiſcoporum cauſam tueri nullo alio firmamento, nullo præſidio poteſt, præterquam illo principio quod nos ſemper ſecuti ſumus. Fatentibus hominibus e ſectâ, quiſquis vellet *Conſtitutiones Apoſtolicas & Mandata* ſuſcipere abſque illo *firmamento* quod ab hàc infallibilitate repetitur, is neque foret ipſe ſibi conſentaneus, neque quidquam diceret quod tolerari poſſet, aut etiam intelligi. Quamdiu hæc quam nos deffendimus *infallibilitas non erit deciſa*, formula erit *tantùm lapis offenſionis & petra ſcandali*. Itaque ſequitur ex illâ confeſſione, nihil eſſe verè medium inter hæc duo extrema, quorum alterum eſt,

nullum reperire formulę *firmamentum*, atque adeò illam quasi tyrannicam abrogare, & satis habere silentium obsequiosum, *quæcumque deinceps Constitutiones & Mandata promulgentur*; alterum est, infallibilitatem eam quæ vocatur in controversiam, formulæ tribuere pro *firmamento*, atque illud adhibere ad Ecclesiam deffendendam, *quo uno principio legitimè* deffendi potest.

Quare noster ille adversarius fatetur nihil omninò, præter illud quod nos pro Ecclesiæ causâ dicimus, æquum & rationi consentaneum dici posse, ab iis certè qui nolint formulam prorsus abjicere ut tyrannicam, *quæcumque deinceps Constitutiones & Mandata promulgentur* ad autoritatem ipsi conciliandam.

Prętereà verò scriptor ille confidenter negat id quod tam certum & tam manifestum est quam quod maximè, atque ita negat, ut in eo negando ne sibi quidem consentiat, quemadmodum mox videbimus. In has devenit angustias, ut deffendere cogatur non esse Ecclesiam quæ formulę jusjurandum exigat. Atqui summus Pontifex Christi Vicarius, atque innumeri Episcopi clamant *Ecclesiam ipsam audiendam* esse in formulâ obsignandâ, & Ecclesia universa, tacito

certè consensu ista quę ignorare non potest sui capitis & tot Episcoporum de se dicta comprobat.

Quid ille scriptor opponit ad publicam hujus facti notitiam, ex quâ totius controversię decisio sequitur, nimirum Ecclesiam esse quæ subscribi postulet? Pollicetur se de illâ quæstione disputaturum, sed nusquam de eâ verbum ullum facit. Nos quidem ita deffendimus Ecclesiam esse, quę subscriptionem imperet, ut illud ipsum quod ab Ecclesiâ gestum est, quod à se gestum esse Ecclesia testatur, commemoremus. Clamant summus Pontifex & Episcopi factum illud esse absque controversiâ. Ex eo solo facto quod pervulgatum est & in omnium oculis positum, consequitur fatente nostro adversario, Ecclesiam aut infallibilem esse aut tyrannicam. Atqui non potest uti tyrannide ad extorquenda manifesta perjuria, quandoquidem scriptor ille fatetur eam esse *infallibilem* etiam in iis quæ solius *disciplinæ* sunt, quæ ad *administrationem externam* & *rectum ordinem* attinent. Quodnam igitur superest illi scriptori perfugium? Nimirum ait Ecclesiam temerè Jesuitis credidisse, & ipsis autoribus quasi verum posuisse, Jansenii textum esse manifestè hæreti-

p. 103.

ctum, quamvis ille non sit hæreticus, & rem eam quæ dicebatur esse manifesta, nunquam ab annis 70 attentiùs subtiliusque disceptare voluisse. Quid autem est hâc totâ agendi ratione minus infallibile quoad disciplinam ? Quid est in quo judex possit magis recedere à rectâ *administratione aut recto ordine*, quam si factum controversum semper sumat pro vero, nolitque unquam de illius veritate quærere, atque ita hominem innoxium tanquam reum damnet? Est igitur manifestum fieri non potuisse, ut Ecclesia si modò est infallibilis in iis quæ ad *disciplinam*, quæ ad *administrationem & rectum ordinem* spectant, causam illam ante dijudicaret, quam eam penitùs cognoverit, atque adeò Ecclesiam vidisse, id quod fatentibus hominibus è sectâ non potest non sentiri, nimirum se fore tyrannicam, si non esset immunis ab erroris periculo, dum formulæ imperat subscriptionem.

Inter hæc duo extrema, quorum alterum fieri necesse est, vel ut credatur Ecclesia esse immunis ab erroris periculo, vel ut eadem importunæ cujusdam pertinaciæ & tyrannidis accusetur, homines e sectâ ne punctum quidem temporis hęrent dubii. Ponunt confi-

denter id quod cum iis, quæ ultrò admittunt, non cohæret, Ecclesiam jam ab annis 40. tyrannidem eamque manifestam exercere, atque adeò neque sanctam esse in præceptis imponendis, neque *infallibilem in disciplinâ, in administratione ac recto ordine.* Ea sunt quæ homines e sectâ malunt perdere, quam discedere à systemate illo delectationis, quam *necesse* sit ut voluntas nostra sequatur, quia illam hæc delectatio & prævenit *indeclinabiliter*, & ad singulos actus *insuperabiliter* determinat.

At quis est inter verè catholicos, qui non ita secum ipse cogitet, qui non ita coarguat scriptorem istum? (Necesse est, quod tu fateris ultrò, ut Ecclesia credatur esse vel infallibilis, vel tyrannica. Saltem illud negare non potes, necesse esse, ut Sedes Apostolica cum innumeris Episcopis conjuncta manifestæ tyrannidis accusetur, si non est Ecclesia in eâ re dijudicandâ immunis ab erroris periculo, prætereaque bona fides postulat, ut agnoscatur Ecclesiam hujus tyrannidis consciam & participem effectam esse, dum illi videtur tacendo consensisse. *Nemo unquam quamlibet se torqueat, ut formulæ fulcimen aliquod & firmamentum subministret, ullum reperiet* p. 1360.

aliud quam infaillibilitatem Ecclesiæ. Mavis tu formulam relinquere absque *fulcimine & firmamento*, atque eam abjicere quasi tyrannicam, quam admittere illam infallibilitatem, quâ positâ rueret systema delectationis libero arbitrio *indeclinabilis* atque *insuperabilis*. Mihi verò contrà longè longeque satius ac præstabilius videtur, & *firmamentum* aliquod formulæ *subministrare*, ne accusem tyrannidis Sedem Apostolicam ac tot Episcopos, quorum totam rationem Ecclesia universa suo tacito consensu comprobat, & repudiare tuum istud delectationis *indeclinabilis* atque *insuperabilis* systema, quod Constitutiones damnavere.)

Ejusmodi præjudiciis, quæ tantam vim habent, semel constitutis, possemus abstinere à *Deffensore silentii* fusiùs confutando. Neque verò n°cesse est vel ejus librum aperire, ut quisque pro certo habeat ac præjudicet nihil ipsum posse adversus supremam hanc autoritatem afferre, quod & non sit plenum invidiæ, & aliquid habeat firmitatis. Deinde & illud audemus spondere lectori, nullum esse in toto opere locum, qui speciem aliquam habeat veri, qui non statim occurrat in nostris Documentis confuta-

tus si, quidquid scriptor ille contradixit, cum iis quæ nos in eâdem causâ posuimus, diligenter conferatur.

Præterà verò totum illud opus, quamlibet accommodatum ad mentes hominum primâ specie pertrahendas, manifestè non cohæret, atque ipsum se confutat. Quid enim vult ille scriptor? quid est illud unum, in quo præsertim statuendo versatur atque elaborat? Id neque ipse novit, neque potest statuere. Vultne Ecclesiam esse obnoxiam errori in conficiendis textibus suorum symbolorum, suorum canonum, suorum denique decretorum, in quibus par & eadem est autoritas? Id verò ne contendere quidem ausus est; imò & palam profitetur vultque omnibus esse persuasum, Ecclesiam ipsi videri minimè obnoxiam errori in textibus ejusmodi dijudicandis. Censetnè igitur Ecclesiam esse quidem obnoxiam errori in dijudicandis longioribus textibus, quos damnat generali aliquo decreto, ita tamen, ut absque erroris periculo dijudicet textus breviores, quos suis canonibus damnat? id verò totum esset puerile ac nugatorium. Quare de nobis illud denuntiat: *Libenter hoc ipsi datur, idem propemodum de textu longiore dici posse, quod de brevio-* p. 970.

re dicitur. Quid igiur superest, in quo jactare se possit amplius? Id verò auderet ne dicere, textus brevioris damnationem quę canone continetur, decisionem esse dogmaticam de jure; at damnationem longioris textus quæ alio decreto contineatur, nihil esse præter edictum aliquod de facto solo pertinens ad disciplinam? Atqui si vel ipsi concederetur loqui tam parum graviter de re omnium gravissimâ, suis tamen ipse verbis, suâ confessione teneretur. Nam hinc quidem

p. 109. affirmat *Ecclesiam verâ quâdam infallibilitate præditam esse in componendis ejusmodi rebus, quæ ad administrationem & rectum ordinem attinent.* Tum subjun-

p. 110. git: *Hoc est auxilium Spiritus Sancti, quo Ecclesia sæculis omnibus sustentatur .... circa* res *illas quæ posita sunt in usu & in administratione, quibus in rebus exigit*

p. 115, 116. *ut obsequamur ipsius autoritati, licet nulla sit revelatio.* Inde verò contendit *vocum usum atque electionem pertinere ad disciplinam.* Et verò etiamsi homines è sectâ impetrarent ea quę volunt omnia, certè negari non posset Ecclesiæ judicium adversus textum Jansenii, edictum esse quoddam ad disciplinam pertinens. Atqui fatetur hic scriptor *Ecclesiam verâ infallibilitate præditam esse in componen-*

dis

dis ejusmodi rebus &c. Diffiteri igitur hic scriptor non potest Ecclesiam verâ infallibilitate præditam esse, cum Jansenii textum damnat tanquam hæreticum, & à nobis jusjurandum exigit, quo eundem, tanquam hęreticum damnemus. Si textus ille tam esset purus ac sanus, quàm textus sancti Augustini, damnatio illius textus, quę sanè ipsi textui contradicit, ipsis verbis planè contradiceret puræ illi doctrinæ, quam sanctus gratiæ Doctor adversùs Pelagium propugnavit, essetque adeò merè Pelagiana. Nihil sanè magis pugnaret cùm *verâ infallibilitate*, in illâ re quæ dicitur pertinere ad disciplinam, quàm decisio adversùs puram S. Augustini doctrinam tam pestilens ac perniciosa. Quare si modò Ecclesia *in rebus ejusmodi componendis verâ infallibilitate prædita est*, necesse est ut agnoscatur infallibilis in Jansenii textu damnando.

Præterea tam manifestum est quàm quod maximè, Ecclesiam esse quæ formulæ subscriptionem exigit, atque id scriptor ille dum negat, non audet tamen ulla adversus rem adeò manifestam argumenta proferre. Jam ab annis 50 homines è secta in eo sunt toti, ut probent Ecclesiam fore tyrannicam, & per vim

nefariam manifesta perjuria imperaturam esse, si nullam haberet adversùs Jansenii textum autoritatem, nisi eam quæ obnoxia foret errori. Atqui nihil magis adversatur puræ *disciplinæ*, *accuratæ administrationi & recto ordini*, quam omnes Clericos adigere ut fidem certam illius facti, quod sit momenti nullius, jurent contra suam intimam persuasionem, certè contra dubitationem insuperabilem, & quidem ducti eâ autoritate, quæ incerta sit & fallax. Igitur foret Ecclesia manifestè tyrannica adversùs puram *disciplinam*, adversùs accuratam *administrationem & rectum ordinem*, si fidem certam & jurejurando testatam imperaret de Janseniani textus hæreticitate, & quidem solâ suâ autoritate propositâ, quam errori obnoxiam seu fallacem atque adeò incertam esse fateretur. Igitur statuendum est suam Ecclesiæ autoritatem videri immunem ab erroris periculo, cum hoc à nobis jusjurandum atque hanc fidem exigit. Etiamsi, quod homines è sectâ volunt, edictum illud pertineret ad solam disciplinam, esset tamen confitendum fuisse illud cum verâ *infallibilitate* propositum, & cum eo *auxilio Spiritus Sancti, quo Ecclesia sæculis omnibus sustentatur* circa ejusmodi *administrationem*.

Pag. 109. 110.

Quare nullus fuit unquam liber minùs dignus ad quem respondeatur, quam recentioris hujus scriptoris liber. Ad objectiones suas ipse quantum satis est respondet, suo se gladio jugulat. Omissis iis quæ extra propositum adversùs nos congerit, satis nobis est ea colligere quæ ipse concedit, atque id si præstiterimus, nihil ipsi supererit de quo possit contendere.

Quid enim consequetur ex illâ suâ ut ait traditione, quam opponit nostræ? Idne agit ut sibi contradicat, probetque ex traditionis monumentis non esse promissam Ecclesiæ infallibilitatem in dijudicandis iis textibus sive brevioribus, sive etiam longioribus, quos damnat suis Canonibus, aut iis certè decretis quæ sint Canonum loco? Idne agit ut secum ipse turpiter pugnet, atque Ecclesiam ostendat non esse *verâ infallibilitate præditam*, ne peccet in iis quæ ad suam disciplinam atque administrationem pertinent, hoc est ne textum damnet æquè purum, atque est S. Augustini textus, & ne manifesta extorqueat perjuria? Plaudit sibi nimirum, & se credit ad omnia respondisse, ubi controversiam illam facti de Janseniano textu dixit esse aliquam de merâ

criticâ controverſiam. Sed quo tendit? nonne intelligit, ſi valet ejuſmodi reſponſio, eam poſſe pariter ab omnibus ſæculorum omnium novatoribus adhiberi ad omnes textus, quos Eccleſia ſuis Canonibus addito anathemate condemnat? Erunt etiam qui dicant potuiſſe Eccleſiam errare in iis quæ ad criticam pertineant, dum illa Tridentini Concilii Canonibus quoſdam textus damnavit. Decreta omnia de fide recidunt denique ad quorumdam textuum damnationes; atque illæ textuum damnationes habebuntur ſcilicet judicia incerta de iis quę pertineant ad criticam. Audebitne verò ſcriptor ille dicere, poſſe Eccleſiam miniſtris ſuis imperare fidem certam & nunquam revocandam ſui decreti, ſi decretum illud non eſt niſi de controverſiâ aliquâ quæ ad criticam pertineat, cujuſmodi eſſet queſtio de Ciceronis aut T: Livii ſcriptis? Nonne hæc manifeſta tyrannis foret, jusjurandum vanum exigere in re ejuſmodi de facto momenti nullius? Planè certum eſt, eum ſcriptorem, qui nihil habet aliud quod reſpondeat, dignum ipſum non eſſe cui reſpondeatur.

Sic tamen exiſtimavimus, non eſſe committendum, ut objiciantur ſedu-

ctionis periculo lectores quidam, quos vel captiosum & fallax scribendi genus hujus scriptoris proprium inducere posset in errorem, vel ejus confidentia decipere. In eo est elaborandum, ut tam paucis tam clarè confutetur, ut illâ immani substructione dissipatâ, nihil planè supersit quod ulli fideli, si modò velit paulisper attendere, fraudi esse possit. Non est instituti nostri hominem persequi vagantem per infinita ferè quæstionum diverticula, quibus ipse vellet nobis elabi, & quò lectores pertrahere sine summo ipsorum tædio non possemus. Satis nobis sit eximia quædam capita pertractare, quibus controversia omnis absolvitur, & quibus hominum è sectâ systema totum ita funditus diruitur, ut iis semel explicatis & constitutis manifestum sit nihil ampliùs superesse quod in contentionem aut disceptationem vocari meritò possit. Præciso arboris trunco, rami omnes eodem ictu concidant necesse est, neque opus est ut singuli resecentur.

Colligemus igitur & sub unum aspectum ponemus loca quædam ex eo scriptore desumpta, quibus vel invitus concedit ea omnia, quæ negare nobis & de quibus maximè contendere nititur. Hęc

ubi ſimul collecta & veluti in unum doctrinæ corpus coaleſcentia lector perſpexerit, non ſine admiratione intelliget totum illud ſyſtema quod nos defendimus manifeſtè contineri verbis ipſis ſcriptoris hujus, qui tam confidenter illud refellere aggreſſus eſt. Primâ hujus Documenti parte oſtendemus Eccleſiam, vel fatente hoc ſcriptore, qui ſuæ ſectæ anteſignanos in eâ re ſecutus eſt, præditam eſſe infallibilitate ſibi promiſsâ ad dijudicandos textus ſuorum ſymbolorum, ſuorum Canonum, atque aliorum decretorum quæ vim eandem obtinent.

Altera pars in eo verſabitur, ut probemus condemnationem Janſeniani textus, quam omnes Eccleſiæ ſummâ conſenſione excepêre, obtinere vim omnem atque autoritatem ſupremam Canonis ad fidem noſtram dirigendam, ita ut planè dici queat eam eſſe quoddam Canonis genus, quo textus longior damnatur, quemadmodum Concilii Tridentini Canon eſt brevioris textus condemnatio. Hæc duo ubi plana fecerimus, nihil erit neceſſe nos diſputare pluribus, atque ita nobis argumentari licebit.

Fatentibus hominibus è ſectâ Eccleſia prædita eſt infallibilitate quadam promiſsâ in dijudicando textu dogmatico, qui aliquo canone damnatur.

Atqui Janſenii textus eſt textus dogmaticus damnatus eo decreto, quod Canonis vim obtinet.

Ergo fatentibus hominibus è ſectâ Eccleſia prædita eſt infallibilitate quadam promiſsâ in damnando Janſenii textu.

His duabus operis noſtri partibus abſolveretur integra doctrinæ noſtræ demonſtratio, ſed facit *Defenſionis* autor, ut etiam ulterius progredi nobis liceat.

Tertiâ parte oſtendemus ſcriptorem hunc cœteris ſectæ ducibus illud aſſentiri, ut hanc infallibilitatem etiam pertinere velit ad edicta illa, quæ meræ ſunt diſciplinæ, in quorum numero ponit ea quibus privatorum autorum textus damnantur.

Denique parte quartâ colligemus præcipua quædam & ſelecta traditionis monumenta, ex quibus ſine ullâ longioris diſquiſitionis moleſtiâ lector intelliget quantùm antiquitas cum ætate poſteriori conſpiret in eam ſententiam quam nos defendimus.

Id verò nobis largiatur ille ſpiritus veritatis, ut nullum nobis in hoc opere toto verbum excidat, quod non ſimul & lumen perfundat & ſuavitatem, ut & ab iis animis error auferatur, quos priùs occupaverat, & ii contrà qui ſunt dociles, erigantur ac ſubleventur.

PRIMA PARS.

Quâ demonstratur ipsâ confessione hominum è sectâ, Ecclesiam esse præditam infallibilitate promissâ in dijudicandis textibus suorum Symbolorum, suorum Canonum, atque aliorum Decretorum generis ac roboris ejusdem.

IS qui scripsit historiam famosi conscientiæ casûs, hæc dixerat. *Hoc primum occurrit in novis illis Documentis (Illust. Archiepiscopi Cameracensis) quod autor multus est in eo probando, quod non venit in controversiam, nihil verò quidquam dicit aptum ad rem eam ostendendam, de quâ solâ hic contenditur. Atque hoc ut fiat planius, advertendum est, non agi hoc loco, utrum Ecclesia sit immunis ab erroris periculo in iis verbis quæ in suis Symbolis seu fidei formulis usurpat. Id unum vocatur in disceptationem, an ejus infallibilitas pertineat etiam ad explicandos libros eos, quorum sensus est inter Theologos con-*

Tom. 3. edit. 2. p. 17.

troverſus, *qualis eſt Janſenii liber.*

Eadem veſtigia perſequitur *Defenſor ſilentii obſequioſi: IlluſtriſſimusCameracenſis*, inquit, *ſi voluiſſet in hac quæſtione pertractandâ non fruſtra vagari ac deerrare, debuiſſet in id unum incumbere, ut probaret Eccleſiam falli non poſſe in indagando ex criticæ legibus autoris alicujus ſenſu, & cæteris omnibus ſuperſedere, quoniam illud unum inter nos vocatur in controverſiam.* Alias idem ſcriptor exclamat. *Nulla ſit facti controverſia de Symbolis & Canonibus.* p. 151. p. 736.

Sed quantò magis homines è ſectâ contendunt eludere quæſtionem generatim atque infinitè poſitam de textibus dogmaticis, tantò pluris intereſt æqui lectoris inveſtigare diligentius illud ipſum quod homines è ſectâ tantopere cavent ne diligenter inveſtigetur; ſcitum eſt Symbola nihil eſſe aliud quam textus quoſdam approbatos ab Eccleſia tanquam puros & dignos ad quos populi ſuam fidem exigant. Manifeſtum eſt Canones nihil eſſe aliud præter damnationes textuum quorumdam, qui declarantur hæretici ac pernicioſi, ne quiſquam eos tamquam fidei regulam ſequatur. Et illud conſtat, utrumque hoc textuum genus eſſe omni revelatione poſterius, adeoque

facta ejusmodi non esse facta revelata? Quid est igitur quod homines è sectâ tantoperè verentur, ne inquiratur, num Ecclesia sit infallibilis necnè, in dijudicandis textibus dogmaticis generatim, sive longiores illi sint sive breviores, sive Canonibus damnati sint, sive Decretis aliis roboris ejusdem? Frustra nos ille scriptor aliò deducere nititur; propositâ *indagatione criticâ de sensu cujuspiam autoris.* Frustra jubet *cæteris omnibus supersedere*, quia de iis agere est *frustra vagari ac deerrare.* Regula fidei nostræ sanctissima funditus rueret, si Novator quilibet posset impunè illud defendere, Canonem nihil esse aliud, quam judicium quoddam criticum de aliquo textu, in quo dijudicando fieri potest, ut Ecclesia criticæ leges non sequatur. Ubi Concilium aliquem tanquam hæreticum Canone damnat, non illud unum agit, ut textus illius *sensum ex criticæ legibus investiget.* Atqui nos id volumus, idem prorsùs atque unum esse judicium oportere de textus Janseniani damnatione, quæ est instar Canonis cujusdam, & parem omnino autoritatem obtinet. Uter igitur nostrum *frustra vagatur & deerrat?* Ille sanè qui fugit a luce, neque audet veræ quæstionis nostræ vel aspe-

ctum sustinere, ubi ea non angustioribus terminis coercetur, quam quibus par est eam coerceri. Nimirum intelligunt homines è sectâ, neminem fore verè Catholicum, qui non ipsorum orationem cum indignatione atque horrore exciperet, si dicerent promissiones divinas non obstare, quominus Ecclesia Spiritus Sancti præsidio destituta esse possit, atque adeò & ipsa falli & nos fallere, quia scilicet deficiet ipsam critica satis accurata in dijudicandis textibus suorum Symbolorum ac Canonum, ad quos tanquam ad normam fidem nostram exigit. Ut tantam hanc tamque generalem animorum omnium commotionem declinent homines è sectâ, comminiscuntur distinctionem quamdam inter textus Ecclesiæ proprios, quos ipsa facit, & textus alienos quos dijudicat. Nos quidem alterâ hujus operis parte videbimus, quam vana, quam futilis atque infirma sit ista speciosa & ad ostentationem excogitata distinctio. Verùm illud interim à lectore postulamus, ut æquo animo patiatur nos ostendere, quantùm illud generatim positum, quod tanquam alienum & inutile à se contemni homines è sectâ simulant, valeat ad conficiendam rem ipsam de quâ nobis est cum homini-

bus illis contentio. Itaque jam probabimus Ecclesiam præditam esse infallibilitate quâdam promissâ in dijudicando sensu, quem secta cogitur appellare factum non revelatum, textuum, qui sunt vel symbola, vel canones, vel ejusdem roboris decreta. Atque in eâ re probandâ non repræsentabimus hoc loco quæ jam attulimus desumpta tum ex iis verbis, quibus Christi promissio continetur, tum ex perpetuâ sæculorum omnium traditione. Sat erit nobis præcipuorum è secta scriptorum verba proferre, quibus illud ipsum quod volumus, apertè ac distinctè confitentur.

I.

Quid Arnaldus fateatur.

AUdiamus sanè per celebrem hunc Theologum, cœterorum illius sectæ scriptorum magistrum ac Doctorem.

Refut. P. Annat. p. 5

Ipsa ejus verba sunt. *Cum dicitur Ecclesiam non esse immunem ab erroris periculo in factis doctrinalibus dijudicandis, quale est illud quod in percipiendo cujuspiam autoris sensu versatur, sciendum est illud à nemine fuisse unquam intellectum*

nisi de privatis scriptoribus, ex quorum sententiâ, quæcumque demum illa sit, nihil certò deduci potest ad Ecclesiæ dogma constituendum: nam exempli causâ, ex eo quod Theodoretus sententiam aliquam docuerit, minimè sequitur eam esse hæreticam, neque eo posito, quod aliqua sententia sit hæretica, consequens est eam à Theodoreto fuisse traditam. Itaque non est Ecclesia immunis à periculo erroris in eo facto dijudicando. Pariter cum horum neutrum sit necessariò connexum & consequens, hæc sententia falsa est, igitur eam docuit Jansenius; vel, eam Jansenius docuit, est igitur falsa; non est profectò Ecclesia immunis ab erroris periculo in hoc aut alio generis ejusdem facto dijudicando. Verum sunt alia facta quædam, ex quibus necessariò elicitur alicujus doctrinæ veritas, atque hæc sunt quibus Ecclesiæ traditio continetur. Verbi gratiâ, ex eo quod sancti Patres summo consensu docuerint aliquid tanquam pertinens ad fidem, consequitur illud ad fidem pertinere, pariterque ex eo quod alia doctrina pertineat ad fidem, sequitur eam ad nos ope traditionis pervenisse & communi patrum consensione fuisse traditam. ATQUE ITA MANIFESTUM EST ECCESIAM, CUM IN DOGMATIBUS DECIDENDIS OBNOXIA NON SIT

ERRORI, ESSE QUOQUE IMMUNEM AB ERRORIS PERICULO IN DIJUDICANDIS EJUSMODI FACTIS, *quæ necessariò consequuntur ex dogmatibus, & quibus prorsùs necesse est ut tanquam mediis utatur ad veritates fidei cognoscendas. Quare* FACTA EJUSMODI QUÆ SPECTANT AD TRADITIONEM, NULLO PACTO CONJUNCTA SUNT CUM ILLO PRONUNCIATO, THEOLOGORUM, *qui volunt Ecclesiam non esse in factis dijudicandis immunem ab erroris periculo.* 1. *Quia* FACTA EJUSMODI SUNT VERÆ JURIS CONTROVERSIÆ, *quandoquidem traditio aquè pertinet ad jus Ecclesiæ, ac scriptura. Itaque juris controversia est ea quæ spectat ad scripturam & traditionem, ut videre est ex iis quæ dicta sunt in Apologia parte quartâ.* 2. *Quia* DICI PLANE ET OMNINÒ NON POTEST EJUSMODI FACTA NON ESSE REVELATA. *Quemadmodum enim ex eo quod revelatum est Ecclesiam fore in ministerio suo perpetuam, consequitur esse jam veros in Ecclesiâ Pastores, ita ex eo quod revelatum est Ecclesiam perpetuò in eâdem doctrinâ suâ firmam & constantem fore, sequitur unumquodque fidei dogma fuisse communi patrum consensu creditum. Atque ita quisquis hoc vel illud dogma revelatum esse novit, novit etiam illud ad*

nos fuisse transmissum ope sanctorum Patrum, qui traditionis custodes extitêre.

1. Sunt igitur illa, vel fatente Arnaldo, facta circa textus non revelatos, eosque omni revelatione posteriores, in quibus dijudicandis Ecclesia est immunis ab erroris periculo. Facta illa non pertinent ad textus, quos Ecclesia ipsa per se digesserit, ut per eos fidem nostram & nobis proponeret, & ad certam normam exigeret, quales sunt symbola & canones. Textus illi non sunt nisi scripta privatorum quorumdam autorum, qui traditionis quę suo tempore vigebat, fideles ac sancti custodes extitêre. Jam verò si Ecclesia obnoxia non est errori, fatente Arnaldo, in dijudicandis tot textibus tot privatorum scriptorum, qui traditionis totius seriem ac veluti corpus intra 17. sæcula conficiunt, quantò potiori jure dicenda est Ecclesia immunis esse ab erroris periculo in suis ipsius textibus dijudicandis, quibus per sua symbola suosque canones fidem nostram & proposuit & ad certam normam exegit? Tam manifestum est quàm quod maximè, textus ejusmodi, si hominibus è sectâ creditur, longè plurimum autoritatis ac ponderis habere inter eos omnes, in quibus traditionem suam Eccle-

sia probare debet & quasi recognoscere. Jam si Ecclesia est immunis ab erroris periculo in iis textibus recognoscendis, etiam diu postquam eos filiis suis tradidit prorsùs necesse est ut fuerit quoque immunis ab erroris periculo, cum eosdem ipsa digessit, ac fidelibus exhibuit, tanquam normam ad quam illi deberent fidem suam exigere. Nihil enim æquè pertinet ad securitatem depositi, ac illa actio, quâ Ecclesia symbola sua, suosque canones efformat, ut filiis suis omnibus offerat. Frustrà verò esset immunis ab erroris periculo in iis textibus interpretandis, ubi semel emissi, promulgati atque accepti sunt, si non eâdem infallibilitate prædita esset in iis digerendis ac rectè intelligendis, ubi necessitas ipsa urget, & cogit eos emittere ac promulgare. Est igitur Ecclesia Arnaldo consitente, immunis ab erroris periculo in symbolorum suorum canonumque textibus iis qui jam sunt emissi, rectè interpretandis, *quis sit sensus*, atque adeò est etiam potiori jure immunis ab erroris periculo in iisdem vel rectè intelligendis vel rectè digerendis, eo temporis puncto, quo eos ipsa digerit.

2. Arnaldus negat ulla alia argumenta debere adhiberi ad infallibilitatem hanc

hanc probandam, quàm quibus probatur Ecclesia non esse obnoxia errori in dogmatibus proponendis, quia hæc duo sibi invicem ita connexa sunt, ut alterum ab altero consequi necesse sit. Igitur fatetur Arnaldus neque dubium haberi vult, id quod homines omnes è sectâ tantopere elevant ac despiciunt, factum à jure sejungi non posse. *Atque ita manifestum est*, inquit, *Ecclesiam, cum in dogmatibus decidendis obnoxia non sit errori, esse quoque immunem ab erroris periculo in dijudicandis ejusmodi factis.*

3. Et illud affirmare non dubitat, *facta ejusmodi esse veras juris controversias, quandoquidem traditio pertinet ad jus Ecclesiæ.* Quare licet Ecclesia non sit immunis ab erroris periculo in dijudicandis factis iis, quæ nullius momenti sunt ad conservandam traditionis seriem, & fidei depositum custodiendum, qualia sunt facta personarum propria, tamen Arnaldus ultrò fatetur, *facta ejusmodi quæ spectant ad traditionem, nullo pacto conjuncta esse cum illo pronuntiato Theologorum, qui volunt, Ecclesiam non esse in factis dijudicandis immunem ab erroris periculo.* Igitur ab isto de factis pronuntiato, debent eximi facta omnia textuum illorum, qui sunt alicujus ad tra-

ditionis feriem momenti, *& ex quibus necessariò elicitur alicujus doctrinæ veritas.* Igitur facta textuum ejusmodi *nullo pacto conjuncta sunt cum illo pronuntiato Theologorum, qui volunt Ecclesiam non esse in factis dijudicandis immunem ab erroris periculo.... Facta ejusmodi sunt vera juris controversiæ, quandoquidem traditio pertinet ad jus Ecclesiæ.*

4. Si Arnaldo creditur, *dici planè & omninò non potest ejusmodi facta non esse revelata.* Si illi tam celebri Theologo credimus, *quemadmodum ex eo quod revelatum est* & promissione divinâ firmatum, *Ecclesiam fore in ministerio suo perpetuam*, certi sumus esse singulis sæculis omni revelatione posterioribus *veros in Ecclesiâ Pastores, ità ex eo quod revelatum est*, & promissione divinâ firmatum *Ecclesiam perpetuò in eâdem doctrinâ suâ firmam & constantem fore*, certi quoque sumus unumquodque fidei dogma repræsentari textibus iis, quibus traditionis series absolvitur per sæcula singula omni revelatione posteriora. Facta quidem ejusmodi textuum posteriora sunt eo tempore, quo viri divino Spiritu afflati, divinisque revelationibus illustrati vixêre; at eadem facta nihilominùs revelatione continentur, quia re-

velatio suis plurimis promissionibus facta futura innumera complectitur, atque illa præsertim quæ pertinent ad eos textus; quorum ope debet traditionis series per sæculorum omnium ordinem conservari.

Missa faciamus jam illa, quibus Arnaldus efficere contendit hanc infallibilitatem pertinere non posse ad textus *privatorum auctorum*, quales fuêre Theodoretus ac Jansenius. Videbimus brevi quàm futilis ea sit argumentatio, quàm parum habeat roboris ac firmamenti. At habemus certè confessionem Arnaldi manifestissimam atque apertissimam, de textibus eorum scriptorum, qui sunt traditionis testes, ac longè potiori jure de textibus symbolorum & canonum, ad quos tanquam ad certam normam Ecclesia præcipit ut fidem nostram exigamus.

II.

Quid fateatur Vallonius.

Vallonius, ille qui hominum è sectâ negotia Romæ procurabat, facere non potuit, ut non Arnaldi vestigia persequeretur. *Libellus ille supplex*, scribebat ad P. Quesnellium, *egregiè scriptus est.*. 1692..9.. *Causa Quesn.* p. 66.

Quod autem habetur paginâ decimâ, posse Ecclesiam errare, cum decernit quis sit sanctorum Patrum sensus, Ambrosii, Augustini, Hieronymi &c. poßet in malam partem accipi, quia videtur ex eo consequens traditionem, quæ nititur conspirante sanctorum Patrum sensu, fore regulam incertam & obnoxiam errori.

Enimverò conspirans plurimorum *Patrum sensus* in suis textibus, est id quo traditio firmatur, est id ad quod tanquam ad certam normam nostra fides exigitur. Atqui conspirans ille textuum sensus, illa omnium inter se consensio & similitudo non potest ab Ecclesiâ absque erroris periculo decerni ac stabiliri, nisi quatenùs ipsa est immunis ab erroris periculo in his textibus comparandis & conferendis inter se, in iis interpretandis, & in eo sensu investigando, ad quem tradendum omnes consentiant ac conspirent. Non potest ædificii major unquam esse firmitas, quam ipsius fundamenti, quo ædificium nititur, atque adeò textuum omnium inter se consensio & similitudo nunquam potest esse firmior ac certior, quàm sit autoritas Ecclesiæ quæ illam similitudinem asserit ac testatur. Atque indè nimirùm factum est, ut in Conciliis omnibus antiquis,

quorum quidem ad nos acta pervenerunt, consuetudo illa teneretur, ut primùm recitarentur monumenta traditionis, deindè autoritas tota decisionis esset in eo posita, ut decerneretur eum textum, qui damnatur, contradicere ac repugnare iis traditionis textibus qui recitati essent. Cujusmodi judicium totum positum est in scriptorum textibus comparandis ac conferendis inter se. Atque hoc argumentum, cujus vim sanè maximam & decretoriam sensit Vallonius, longè plus etiam habebit roboris ac firmitatis, si adjungatur id quod fatetur *Defensor silentii*, nimirum *traditionis veritatem non summatim, sed singulatim expendi ac probari*. p. 1027. Et verò non nisi plurimis patrum textibus singulatim diligenterque collatis, potest denique cognosci esse inter se consentientes eorum textus, quibus traditio constat, hoc est, quorum ope dogmata transmittuntur. Eo jacto fundamento fatetur Vallonius non posse *Ecclesiam errare, cum decernit quis sit sanctorum Patrum sensus, Ambrosii, Augustini, Hieronimi &c.* Hæc est sanè textuum singulorum enumeratio. Intelligitis id sensisse Vallonium, *libellum illum supplicem* longiùs progressum esse quàm par erat, negari non posse infalli-

bilitatem in dijudicandis generatim textibus autorum universis, ac sensim esse retrocedendum, ac remigrandum intrà fines ab Arnaldo præscriptos.

Optarem præterea, pergit Vallonius, *ut majorem etiam vim fecisset autor in discrimine quod poni debet inter sensum autoris*, AB AUTORE INTENTUM, *& sensum qui libris ejus continetur.* Illud advertite, hominem sagacem atque astutum sic existimasse, maximè pertinere ad rem totius sectæ communem, ut omnis controversia semper deflecteretur in factum merè personale, quod ad mentem scriptoris intimam pertineret, neque unquam ea poneretur in dijudicandâ heterodoxiâ vel orthodoxiâ textus ipsius dogmaticè spectati. Facilè intelligitur neque posse Ecclesiam, neque verò necesse habere unquam intimos atque arcanos animorum sensus perspicere. Sed nimirum non potuit Vallonius non sentire, id quod res erat, sibi prorsus necesse esse, ut omnis controversia in factum illud solius personę proprium derivaretur, quoniam ipsa quæstio plena est offensionis atque invidiæ, si semel ita explicetur, ut referatur ad textus ipsos per se spectatos. Ille Theologus apprimè vidit, magnoperè interesse ad fidem conservandam,

ut Ecclesia semper absque ullo erroris periculo possit inter eos textus, qui ad traditionem pertinent, discernere ac distinguere eos *qui ut cancer serpunt*, ab iis quibus veritas revelata continetur. Sed Vallonium audire pergamus; *sunt enim*, inquit, *qui possent contendere priorem illum*, sensum scilicet autoris, ab autore intentum, *dubium semper atque incertum esse posse, hujus verò posterioris*, scilicet sensûs qui libro aliquo continetur, *longè aliam esse rationem, quippe qui jam non sit, inquiunt, mera facti quæstio, sed fiat quæstio juris, cum semel de eo quidpiam fuit ab Ecclesiâ decretum. Atque hunc in modum Pater Agathangelus Carmelita mecum ea de re locutus est.* Agnoscit hoc loco Vallonius discrimen quoddam ingens inter facta merè personalia, quæ intimâ scriptorum mente continentur, & facta quæ in textuum orthodoxiâ vel heterodoxiâ sic posita sunt, ut iis fides vel corrumpatur vel servetur. Et verò, ut hoc exemplum adhibeamus, quid habet simile Theodoreti ipsius cogitatio & mens intima, cum orthodoxiâ sive heterodoxiâ textus Nicæni symboli? Hoc perspicuè Vallonius intelligebat. Hoc erat, cur vehementer optaret, ut homines è se-

ctâ id unum ſequerentur, atque in eo habitarent, Eccleſiam non eſſe immunem ab erroris periculo in dijudicandâ mente intimâ ſeu voluntate ac conſilio ſcriptorum. Addit quoſdam Theologos, quos ipſi *Pater Agathangelus* Romę commemoraverat, ſic habere perſuaſum, controverſiam de orthodoxiâ vel heterodoxiâ textuum per ſe ſumptorum, *jam non eſſe meram facti quæſtionem, ſed fieri quæſtionem juris, cum ſemel de eâ quidpiam fuit ab Eccleſia decretum.* Atqui hoc ipſum eſt, quod nos totidem verbis deffendimus. Hoc ipſum eſt, quod Vallonius facere non potuit ut non fateretur ſuis illis arcanis Epiſtolis, quibus arbitrabatur ſe abſque ullo periculo poſſe Queſnellio aperire quâ præſertim ex parte ipſorum cauſa laboraret.

Facti quæſtiones, ut idem Vallonius addebat, *quas in dubium vocare fas eſt, non oportet transferri ad opera Patrum, quibus ex parte conſtat Eccleſiæ traditio: atque illud eſt quod in libello ſupplici non ſatis diligenter eſt animadverſum.* Si Vallonius tantoperè & meritò quidem extimuit, ne homines è ſectâ in omnium Catholicorum odium atque offenſionem incurrerent, quia Eccleſiam dixiſſent errare poſſe in dijudicandis ſcriptoribus iis

qui ſunt traditionis teſtes, quales ſunt *S. Ambroſius*, *S. Auguſtinus*, *S. Hieronimus &c.* quantò fuiſſet attonitus & terrefactus magis, ſi addidiſſent Eccleſiam etiam falli poſſe in dijudicandis ſymbolorum & canonum textibus, ad quos tanquam ad normam vel maximè ſolemnem ac tutam noſtra fides exigitur. Atque illud ſanè dignum eſt, ad quod ſtudioſè ac diligenter attendatur, hunc Theologum longè cautiorem cæteris & ſagaciorem eniti, ut eos ſenſim reducat ad illud, quod ab Arnaldo communi ipſorum Doctore ac Magiſtro fuerat poſitum, nempe ut diſtinguantur ea facta quæ ſunt alicujus ad traditionem momenti, ab iis factis quæ nihil prorsùs ad traditionem faciunt. Id ſciens cavebat, ne unquam homines è ſectâ contenderent de Eccleſiæ infallibilitate in dijudicandis iis textibus, ex quibus traditionis ſeries & corpus coaleſcit, multò verò minùs in textibus ſymbolorum & canonum, quibus quaſi præcipuis traditionis inſtrumentis fides noſtra dirigitur & conformatur.

III.

Quid fateatur ille qui scripsit notas adversùs nostrum Mandatum.

ILle qui notas adversùs nostrum Mandatum scripsit, Arnaldi vestigiis inhæret accuratè. Sic enim de Theologis è
p. 460. sectâ disputat : *illi quidem agnoscunt non inviti, Ecclesiam textus eos planè cognoscere ac percipere, non modò qui ad scripturas sacras, sed etiam qui ad fidei canones pertineant, & ad veritates eas quæ verbo Dei & traditione continentur. Itaque Episcopi cum ad Concilia convenêre, atque in condendo fidei canone versantur, Deus primùm eos naturalia media sinit adhibere, sinit uti sensibus, ingenio, dotibus animi, doctrinæ rerumque cæterarum subsidiis ad ea scripta cognoscenda, quibus traditio continetur. Verùm ubi decernendi tempus advenit*, DEUS ITA DIGERIT OMNIA, UT ILLI NIHIL INSERANT CANONI, QUOD NON SIT REVELATÆ VERITATI CONSENTANEUM, NIHIL ANATHEMATISMO COMPLECTANTUR, QUOD NON REPROBARI DEBEAT ET ECCLE-

SIASTICO FULMINE PERCELLI. *Atque illud Ecclesia cum facit, modò verbis utitur communibus atque ad intelligentiam vulgi potiùs quàm ad severiores grammaticæ regulas accommodatis, modò novas ipsa voces procudit, quas ubi opus est, interpretatur.* Tum illud subjungit idem scriptor : *atque hanc consentientem judicum omnium autoritatem, hanc tantam conspirationem & concordiam in assignando Ecclesiastico & Catholico propositionis alicujus sensu, sancti Patres volunt* A PRÆCIPUO QUODAM ATQUE INFALLIBILI SANCTI SPIRITÛS ADJUTORIO PROFICISCI. Verba ista nullis commentariis indigent. Habemus scriptoris illius confessione infallibilitatem *à sancti Spiritûs adjutorio profectam*, & quæ nominatim ad symboli cujuslibet canonisve textum pertineat. p. 465.

I V.

Quid fateatur is qui scripsit historiam casûs conscientiæ.

IS qui scripsit historiam casûs conscientiæ, à cæterorum sententiâ non discedit. *Hoc primum*, inquit, *occurrit in novis illis Documentis* (Illustrissimi Arch. Cameracensis) *quod autor multus est in* Tom. 3. edit. 2. præf. p. 17.

eo probando, quod non venit in controversiam, nihil verò quidquàm dicit aptum ad rem eam ostendendam, de quâ solà hic contenditur. Atque hoc ut fiat planius, advertendum est non agi hoc loco, utrum Ecclesia sit immunis ab erroris periculo in iis verbis, quæ in suis symbolis seu fidei formulis usurpat. Id unum vocatur in disceptationem, an ejus infallibilitas pertineat etiam ad explicandos libros eos, quorum sensus est inter Theologos controversus, qualis est Jansenii liber. Nolo esse longior in eo, ut demonstrem illos, qui Janseniani dicuntur, numquam dubiam habuisse supremam eam autoritatem, quam Ecclesia accepit à Christo, in præscribendo ac moderando fidelium sermone. Id verò poni debet inter primas illas veritates, quas ignorare nemo potest. QUOD CHRISTUS, *inquit unus ex illis Theologis vel celeberrimus*, ECCLESIÆ PROMISIT, PRÆCIPUUM QUODDAM SANCTI SPIRITÛS ADJUTORIUM, ID PERTINET ETIAM AD VOCES *eas, quas Ecclesia judicat maximè accommodatas ad stabiliendam veritatem, ad errorem evertendum, ad hæreticos exarmandos, ad condenda sua symbola, suasque fidei formulas. Hæc erat illorum Theologorum oratio etiam ante nova Illust. Archiepiscopi Camera-*

ensis Documenta. Quos tamen Theologos Præsul ille mitissimus vellet ab Ecclesiæ societate pelli, quasi qui ejus autoritatem non agnoscant.

Ea verba si modò verè atque ex animo prolata sunt, neque sunt comparata per jocum ad fraudem universæ Ecclesiæ faciendam, nihil nobis relinquunt quod ampliùs postulemus circa infallibilitatem Ecclesiæ in symbolorum suorum canonumque textibus dijudicandis. Fatentur enim illi scriptores omnes, *Deum ita digerere omnia*, ut qui judices sedent atque arbitri, *nihil inserant canoni, quod non sit veritati revelatæ consentaneum, nihil anathematismo complectantur, quod non reprobari debeat & Ecclesiastico fulmine percelli.* Est illa, non naturalis quædam infallibilitas criticę finibus coërcita, & quę solâ textuum evidentiâ nitatur, sed quæ *à præcipuo quodam atque infallibili Spiritûs sancti adjutorio proficiscatur*, hoc est, *ab eo, quod Christus Ecclesiæ promisit, præcipuo quodam Spiritûs sancti adjutorio, quod pertineat etiam ad voces &c.*

Nullum habent homines è sectâ perfugium, nisi in eo, ut distinguant eos textus quos Ecclesia facit ad fidem nostram dirigendam, ab iis quos ipsa non

facit, sed quos *à privatis quibusdam autoribus* scriptos condemnat ; symbolorum verò canonumque textus quod attinet, homines è sectâ fatentur Ecclesiæ *promissum esse infallibile spiritûs Sancti adjutorium, quod pertineat etiam ad voces &c.* Hoc ultimum illi perfugium habent, verùm eo dum utuntur, suo se ipsi responso jugulant.

Enimverò si Ecclesia est immunis ab erroris periculo in symbolorum suorum canonumque textibus dijudicandis, illud primùm necesse est, ut homines è secta modestè diffiteantur ac revocent id quod ab annis 50. fundamenti loco ab ipsis positum, & perpetuò scriptis innumeris jactatum est, nimirum infallibilitatem Ecclesię non patere latiùs quàm revelationem, atque adeò textus omnes revelatione posteriores, cum minimè sint revelati, non esse ejusmodi, ut ab Ecclesiâ dijudicari possint eâ autoritate quę sit extra periculum erroris. Sanè symbola & canones textus quidam sunt eo tempore conscripti, quod omni revelatione longè posterius est. Imò eorum textuum singuli suo quique tempore nova quædam ac recentia fuêre facta, hujus vel illius sæculi propria. Quare si bonâ fide fatentur homines é sectâ, Ec-

clesiam esse immunem ab erroris periculo in factis ejusmodi dijudicandis, antequam admittantur ad explicanda cætera suæ causæ capita, necesse est ut palam atque apertè revocent illud quod generalis cujusdem principii loco esse voluerant, scilicet infallibilitatem Ecclesiæ non patere latiùs quàm veritates revelatas, neque posse ullo pacto pertinere ad factum ullum revelatione posterius. Debent homines è sectâ confiteri principium illud, si generatim atque infinitè sumatur, falsum esse, defendi prorsùs non posse, esse etiam perniciosum, quippè quo labefactetur atque evertatur Ecclesiæ autoritas infallibilis in symbolis & canonibus, quibus fidem nostram informat ac dirigit.

Id unum superest hominibus è sectâ, ut se ad Arnaldum adjungant, atque id defendant, *ejusmodi facta*, quæ posita sint in symbolorum canonumque textibus, *esse veras juris controversias, quandoquidem traditio pertinet ad jus Ecclesiæ*, neque *dici planè & omninò posse ejusmodi facta non esse revelata*, quia nimirùm illa tamquam facta suo tempore futura continentur verbo divino, quo promissum seu *revelatum est*, *Ecclesiam perpetuò in eâdem doctrinâ suâ firmam & constan-*

tem fore. Atqui si *facta ejusmodi sunt vera juris controversia*, si *dici planè & omninò non potest ejusmodi facta non esse revelata*, sequitur id quod necesse est ut Arnaldus, imò & omnes homines è sectâ confiteantur, facta ejusmodi fide divinâ credi. Neque enim debet esse dubium, quin *vera juris controversia* credi divinâ fide possint. Fatendum est divinâ fide credi posse illa facta, quæ *dici planè & omninò non possunt non esse revelata.* Atque illud est quod homines è sectâ toties appellavêre *hæresim theseos Jesuitarum*, quodque jam ut dogma fidei credendum ponitur ab Arnaldo atque ab omnibus ejus discipulis, saltem quoad symbolorum canonumque textus.

V.

Quid fateatur is qui silentium obsequiosum defendere aggressus est.

SEd jam audiamus quid variis locis concedat ac nobis largiatur ille ipse scriptor, qui nos refellere aggressus est. Nihil est quod æque faciat ad bonæ hujus causæ firmitatem, quàm testimonium illud,

d, quod ipsa veritas exprimit ac ve-
iti extorquet etiam ab iis qui ipsam op-
ugnare cogitant.

Spiritus sanctus, inquit recens ille riptor, *qui in Ecclesiâ consistit & comoratur, eam regit absque ullo erroris pe-ulo in iis quæ ad disciplinam pertinent, æque illa sine ullâ revelatione ordinat componit.* Jam habemus hoc loco in-libilitatem aliquam, quæ naturalis vo-ri non potest, siquidem ab infallibili iritûs sancti ductu proficiscitur. Et a quidem patet latiùs quam res reve-æ, quandoquidem attingit nominatim *quæ ad disciplinam pertinent*, *quæ* Ec-sia *sine ullâ revelatione ordinat & com-nit.* Falsum igitur est, neque potest lâ ratione defendi id quod tantopere jac-um est ab hominibus è sectâ & fun-menti loco positum; bona fides postu-ut illud jam ejuretur ac revocetur, stulat ut damnentur scripta innumera, ibus illud cum tantâ fidelium offen-ne propugnatum est, nimirum infalli-litatem Ecclesiæ non pertinere nisi ad s eas quæ revelatæ sunt, atque adeò tum in aliquo textu positum, cum velatum non sit, ab Ecclesiâ sine er-ris periculo dijudicari non posse. Con-a verò scriptor ille recens fatetur post p. 107.

Arnaldum, infallibilitatem Ecclesiæ patere latiùs ipsâ revelatione, atque etiam pertinere ad facta omni revelatione posteriora, quia *Spiritus sanctus* Ecclesiam *regit absque ullo erroris periculo in iis quæ ad disciplinam pertinent, quæque illa sine ullâ revelatione ordinat & componit.* Luctuosum est sanè, homines è sectâ per annos 50. adversùs Ecclesiam tam protervè tantâ cum offensione contendisse, ut illud propugnarent, quod jam ipsi falsum esse neque ullâ ratione defendi posse confitentur.

p. 169. *Hoc addo*, pergit idem scriptor, *Ecclesiam prorsus esse immunem ab erroris periculo in decernendis ejusmodi rebus, quæ ad externam administrationem & rectum ordinem pertinent, non quod Ecclesia certam ad res eas ritè componendas revelationem habeat, sed quia* DEUS ADMIRABILI QUADAM PROVIDENTIA NATURALEM EJUS PRUDENTIAM ITA DIRIGIT AC TEMPERAT, *ut nihil unquàm generali consensione præcipiat, quod per se rectis moribus repugnare possit. .... Quare hoc est* SPIRITÛS SANCTI PRÆSIDIUM, *quo Ecclesia per omnes ætates sustentatur, tam quoad veritates revelatas, & ad nos per scripturam & per traditionem quam nobis Ecclesia proponit transmissas, quàm*

quoad res eas quæ in usu & disciplinâ positæ sunt, & in quibus nos autoritati suæ parere cogit absque ullâ revelatione.

Sunt & ejusdem scriptoris hæc verba p. 112.
consequentia : *In his omnibus quæ Ecclesia vel proponit credenda, vel facienda præcipit*, SACRILEGUS ESSET QUI VELLET RATIONEM AUDIRE, ATQUE EAM ANTEFERRE ILLI AUTORITATI, QUAM CONTINUUM SPIRITÛS SANCTI PRÆSIDIUM PRÆSTAT IMMUNEM AB ERRORIS PERICULO.

Idem præterea sic habet. *Pertinet ad* p. 115.
disciplinam usûs delectusque verborum..... erraret sanè, ut rectè censuit Bannesius eo quem Illust. Cameracensis retulit loco, quisquis non fateretur Ecclesiam esse regulam infallibilem ad definiendum modum loquendi in rebus fidei, ad proponendum nobis res fidei, ergò etiam ad determinandum, quibus verbis debeat explicari fides; erraret igitur, ut ipsa Bannesii verba repræsentemus, *quisquis non agnosceret eam quam Ecclesia autoritatem habet, ut definiat nobis sermonem & loquelam.*

Et illud subjungit. *Cum illi semper ad-* p. 122.
sit Spiritus Dei, fieri prorsùs non potest, ut filios suos inducat in errorem iis regulis quas ipsis præscribit, & quibus illi prorsus obsequi ac parere debent.

p. 1057. *Hoc ultrò profiteor*, inquit, *quotiescumque veniet aliquid in controversiam, quod ad fidem & disciplinam pertineat, fieri nunquam posse, ut tum Dei Spiritus Ecclesiæ promissus ipsam deserat, cum statuendum ac decernendum est.*

p. 1163. *Non possunt illi*, de Catholicis loquitur, *dubitare quin contingant ea quæ de illâ*, nimirum de Ecclesiâ, *promissa sunt, fore ut apud eam servaretur ac permaneret verbum Dei sive scriptum sive non scriptum, neque deessent necessaria media ad illud sive scripto, sive vivâ, ut ajunt, voce transmittendum.*

p. 1165. Deindè sic pergit. *Deus ..... absque ullâ novâ revelatione*, ABSQUE ULLO MIRACULO, QUOD QUIDEM SUB SENSUM CADAT, SIC TEMPERAT EAM QUAM DAT ECCLESIÆ COGNITIONEM AC SCIENTIAM ..... ATQUE ITA RERUM FUTURARUM SERIEM APTE DISPONIT, UT EX GENERALIBUS ECCLESIÆ DECRETIS NIHIL UNQUAM ORIATUR, QUO LÆDI FIDES AUT MORES VIOLARI POSSINT.

p. 1353. *Rectè illud ponit* (Illust. Cameracensis) *fieri nunquam posse, ut illa quidquam vel faciat vel etiam approbet, quod filios suos necessariò pertrahat ad seductionem. Ea principia sunt minimè dubia, & quæ promissionibus ipsis sine controversiâ continentur.*

Imò & ita loqui ſcriptor ille non dubitat. NULLA EST FACTI CONTROVERSIA DE SYMBOLIS ET CANONIBUS. NEQUE VERÒ AGITUR, inquit, DE TEXTIBUS ECCLESIÆ PROPRIIS, VERBI GRATIA, DE ÉJUS SYMBOLIS AC CANONIBUS, IN QUIBUS CONTEXENDIS ERRARE NON POTEST CIRCA SIGNIFICATUM VERBORUM, *cum ille prorsùs in ejus poteſtate ſit & quaſi determinatione poſitus.* p. 736. p. 148.

Nihilominùs, inquit, *illud ultrò fatebor, nunquam fore, ut Spiritus ſanctus, qui intra Eccleſiam reſidet, patiatur eam proſcribere ſeu rejicere voces ullas dogmaticas eo tempore, quo ex ipſius diſciplinâ fideles induci poſſent in errorem aliquem neceſſarium .... atque idem quoque dixerim de iis textibus quos ipſa condit, exempli causâ de ejus ſymbolis ac canonibus..... certi ſumus eam ita ſua verba temperaturam eſſe; ut nunquam errorem pro veritate proferat.* p. 150.

Significat quidem ille ſcriptor textus ejuſmodi dijudicari ab Eccleſiâ abſque erroris periculo, *quia ſymbola conſtant iis verbis quæ* PLERUMQUE *ſint clara & definita*, neque *verus eorum ſenſus vocari poteſt in controverſiam.* Vult quidem Eccleſiam tunc *humano prorsùs more ac modo judicare de ſignificatu verborum*, at- p. 214. p. 149.

p. 906. que *ad eorum vim certò cognoſcendum nullâ re aliâ* UT PLURIMÙM *indigere, præterquam oculis, ſenſu communi, & patientiâ.* Verum illud adjungit, promiſſionibus divinis certos nos fieri Deum advigilaturum ſemper, ut Eccleſia naturalem iſtam intelligentiam abſque ullo errore conſtanter adhibeat. *Manifeſtum*

p. 160. *eſt*, inquit, PROMISSIONEM DIVINAM *in iis quæ pertinent ad dogmata, ſivè* PRÆCIPUUM ISTUD AUXILIUM QUOD PROMISSUM EST, ET QUO TUM SINE ULLA VARIETATE, TUM DISTINCTE CONSERVATUR IN PASTORUM CORPORE *veritatum revelatarum cognitio*, ACCEDENTE NATURALI IPSORUM PRUDENTIA, SATIS ESSE UT PLANE, PRORSÙS ATQUE OMNINÒ CERTI EFFICIAMUR FORE UT DOCTRINA *eorum miniſterio pura atque incorrupta uſque ad ſæculorum omnium finem* TRANSMITTATUR. Neque omittenda ſunt hæc verba, quibus illud idem iterùm apertiſſimè confitetur: *di-*

p. 170. 171. *ſtincta, quam habet doctrinæ revelatæ cognitio, atque illa ad eandem doctrinam, cum eam proponit*, ATTENTIO, QUAM TUM SPIRITUS SANCTUS IN IPSA CONSERVAT, *ſatis omninò ſunt*, UT APTE DELIGAT VOCES QUIBUS ILLA DOCTRINA SIGNIFICETUR. *Eam quidem poterit*

el minùs clarè vel clariùs efferre, sed unquam continget, ut quidquam efferat contrarium ejus quod docere voluerit.

Ego verò, pergit idem scriptor, *facio libenter ut prorsùs assentiar iis quæ hoc loco disputat de Ecclesiæ autoritate circa locutiones.* Agit de tertio nostro Documento parte primâ cap. 3. Pag. 193.

Ex his omnibus locis conficitur, hanc esse scriptoris illius sententiam, Ecclesiam plerumque absque ullo erroris periculo decernere de iis textibus quos ipsa condit ut fidem nostram ad ipsorum normam dirigamus, quia textus illi *constant verbis, quæ* PLERUMQUE *sint clara & definita, & nullâ aliâ re* UT PLURIMUM *indiget, præterquam oculis, sensu communi, patientiâ &c.*

Verùm confitetur etiam tum, cum Ecclesia sic *humano prorsùs more ac modo judicat* de evidentiâ textuum, *Deum admirabili quâdam providentiâ naturalem ejus prudentiam ita dirigere ac temperare*, ut nullus unquàm error facti contingat circà textuum illorum significationem. *Nulla*, exclamat ille, *facti controversia de symbolis & canonibus.* Quare verò nulla unquàm potest de his oriri facti controversia? nimirùm quia *Deus admirabili quâdam providentiâ natura-*

lem Ecclesiæ prudentiam dirigit ac temperat, ne quid ejusmodi contingat unquam. Nimirùm quia Deus *absque ullo miraculo quod quidem sub sensum cadat, sic temperat eam, quam dat Ecclesiæ cognitionem ac scientiam, .:... atque ita rerum futurarum seriem aptè disponit, ut ex generalibus Ecclesiæ decretis nihil unquam oriatur, quo lædi fides aut mores violari possint*, atque adeò nunquam Ecclesia fallatur in eo sermone usurpando, quo solo potest revelatum sensum & definire & transmittere. Nimirum quia *non possunt Catholici dubitare, quin contingant ea quæ promissa sunt*, atque adsint *necessaria media* ad veritatem revelatam *sive scripto, sive vivâ, ut ajunt, voce transmittendam*; nullum est autem *medium* ad eam transmittendam præstabilius, quàm ut ab eâ submoveatur hæreticus omnis *sermo*, qui *ut cancer serpit*. Nimirum quia *Ecclesia errare non potest circa significatum verborum*, quibus sua symbola canonesque *contexit*. Nimirum quia *præcipuum istud auxilium quod promissum est ... accedente naturali* Ecclesiæ *prudentiâ, satis est ut planè prorsus atque omninò certi efficiamur fore* nunquam, ut illud incommodum contingat: nimirum, quia illa *attentio quam*

piritus sanctus in Ecclesiâ *conservat ;*
itis omninò est , ut aptè deligat voces,
uibus revelatum dogma *significetur.* Hęc
st sanè simplex quædam & absoluta in-
allibilitas , orta à *præcipuo isto auxilio*
uod promissum est. Atenim satis est, di-
et quispiam , *attentio* Ecclesiæ illa , quę
ihil habeat præter naturam, non opus
st *ullo miraculo , quod quidem sub sen-*
um cadat. Verum quid refert ? ea est
ttentio , quam Spiritus sanctus in ipsâ con-
ervat. Ea est *naturalis prudentia , quæ ad-*
mirabili quâdam providentiâ dirigitur ac
emperatur. Ea est *cognitio ac scientia,*
quam *Deus* & *dat Ecclesiæ* , & *temperat :*
Ea est *rerum futurarum series* , quam
Deus *sic aptè disponit.* Ea est *prudentia*
aturalis , ad quam Deus *præcipuum istud*
uxilium quod promissum est , *adjungit.*
Illud est *præcipuum auxilium* , quod Deus
adhibet , ut *oculos* , *sensum communem* ,
patientiam Ecclesiæ dirigat. Denique eâ
in re *contingunt ea quæ promissa sunt* , &
Spiritu Dei procurante *contingunt.* Istud
Spiritûs sancti præsidium, quod promis-
sionum vi ac fide tribuitur, non tantùm
pertinet ad dogmata , sed etiam *ad usum*
delectumque verborum , ad ea *verba qui-*
bus debet explicari fides , *ad filiorum suo-*
rum sermonem & loquelam in rebus fidei,

ad ea *media*, quibus veritas *sive scripta*, *sive vivâ*, *ut ajunt*, *voce transmittatur*. Istud *auxilium Spiritûs sancti præcipuum*, *quod promissum est*, pertinet ad *textus Ecclesiæ proprios*, *verbi gratiâ*, *symbola & canones*, *atque ad significatum verborum*, quæ in illis *contexendis* adhibet; pertinet ad *voces dogmaticas*, quibus ejusmodi instrumenta constant; pertinet ad *delectum verborum*, quibus dogma *significatur*. Habemus scriptorem hunc recentiorem signata ab Arnaldo vestigia persequentem. Habemus ipsum cum Vallonio & cæteris quos modò produximus, conspirantem. Sed & habemus pariter nobis consentientem. Totum illud quod nos postulamus tam apertè confitentem superest ut compellemus iisdem verbis, quibus Pelagium S. Augustinus compellabat. *Hoc & nos dicimus. Jungamus dextras*, quod est pacis & concordiæ signum. Sanè cum de infallibilitate in textibus dijudicandis Ecclesiæ concessâ disputavimus, potuimusne verba vel graviora vel magis decretoria reperire? Possetne scriptor ille definitum aliquid & certum clarè proferre, quò nos longiùs progrediamur, quàm ipse sit progressus, aut constituere quid sit illud tandem, quod nobis postulanti-

De nat. & Grat. cap. XLIV.

ius neget, in quo à nobis dissentiat? Nos quidem universæ Ecclesiæ denuntiamus nihil nos amplius postulare, quàm quod ipsis scriptoris illius verbis apertè declaratur.

VI.

Hujus partis primæ Clausula.

SI verè atque ex animo, ut poni profectò debet, scriptores illi confessi sunt id quod ipsorum verba modò à nobis prolata manifestè significant, quid est quod optare possimus ampliùs de textibus symbolorum, canonum, ac decretorum ejusdem generis ac potestatis? Quantùm quidem ad illa pertinet, ruunt prorsùs & sponte suâ concidunt ea quæ opponi nobis possunt ab hominibus è sectâ, neque nos quidquam præthereà postulamus.

1. Invidiosum planè foret atque absurdum, ea quæ nobis data & concessa sunt, veluti resumere propositâ illâ distinctione, quâ etiam in textibus ejusmodi comparatis ad fidei nostræ normam secerneretur jus quod admittitur, à facto quod non admittitur. Exceptionem hanc inanem ac frivolam repudiat *Defensor silentii*, *nulla*, exclamat ille, *facti con-*

troversia de symbolis & canonibus. Enimverò ea ludibrio haberet, qui sic à se admitti simularet, ut non admitteret nisi vagum quemdam sensum atque infinitum, quem quisque pro suo arbitrio definiret, relictâ semper potestate contendendi de eo facto, quod positum est in propriâ significatione verborum. Si valet illa juris & facti distinctio, canonum omnium ac symbolorum acceptio nihil jam erit præter acceptionem quamdam à conditione pendentem, atque adeò frivolam. Socinianus quispiam opertus, non dubitabit eâ lege symbolum Nicænum admittere; quispiam è Protestantibus, qui se per simulationem immiscuerit catholicorum gregi, conditionibus iisdem non dubitabit accipere Tridentinæ synodi canones, nempe ut nihil iis significetur quod faciat ad errores suos confutandos.

2. Hoc verò foret plenum offensionis & scandali, si quis auderet dicere Ecclesiam in illo judicio, quo vel symboli cujuspiam textum adoptat, vel eum textum quem canone describit, ferit anathemate, *falli posse*, dum scilicet textûs illius *sensum ex criticæ legibus investigat.* Imò verò fatendum est id quod apertè homines è sectâ declararunt, & quod his

verbis professus est is qui notas in Documentum nostrum conscripsit. *Episcopi*, ait ille, *cum ad Concilium convenêre...Deus primùm eos naturalia media sinit adhibere, sinit uti sensibus, ingenio, dotibus animi, doctrinæ rerumque cæterarum subsidiis ad ea scripta cognoscenda, quibus traditio continetur. Verùm ubi decernendi tempus advenit, Deus ita digerit omnia, ut illi nihil inserant canoni, quod non sit revelatæ veritati consentaneum.* Ea sunt omnia tum naturæ, tum *doctrinæ, cæterarumque rerum*, verbi gratiâ, grammaticæ, logicæ, criticæ *subsidia*, quæ pertinent ad dijudicandos eos textus, *quibus traditio continetur*. Quæcumque illi jam habent parata, Deus assumit atque adhibet; quæ verò desunt ad ipsam definitionem, ea Deus omnia *providentiâ quâdam admirabili* supplet atque adjungit de suo. Consentit ille *Defensor silentii*, non criticam, non grammaticam, non ullam aliam doctrinam, quæ quidem naturæ viribus comparari queat, deesse Ecclesiæ posse, *in textibus* ipsius *propriis*, *verbi gratiâ in symbolis ac canonibus*, *in quibus contexendis errare non potest circa significatum verborum*, quæ deligit. Affirmat *præcipuum istud auxilium quod promissum est ... adjunctum ad naturalem Episcoporum*

Not. p. 460.

qui ad Concilium convenêre, *prudentiam, satis esse ut planè, prorsùs atque omninò certi efficiamur fore, ut doctrina pura atque incorrupta transmittatur.* Nullus est igitur hic *criticæ* de textibus indagationi locus.

3. Multò etiam minùs est locus distinguendi textus manifestos ac perspicuos, ab iis quorum sensus obscurus est & controversus. Ille *silentii defensor* hoc unum attulit, *symbola & canones constare iis verbis quæ* PLERUMQUE *sint clara & definita.* Quisquis ait homines esse *plerumque* fallaces ac perversos; is profectò satis significat esse tamen paucos quosdam homines bonos & simplicis veritatis amicos. Ita prorsus, qui symbolorum canonumque textus ait esse *plerumque* claros, satis significat esse tamen aliquos aliquando, qui non sint extra controversiam omnem positi, neque ita manifesti, ut de iis contendere nequeant nisi qui deliri atque amentes sunt. Deinde & illud addit de Ecclesiâ suorum canonum ac symbolorum verba perpendente, illam *ad eorum vim certò cognoscendam nullâ aliâ re* UT PLURIMÙM *indigere, præterquam oculis, sensu communi & patientiâ.* Quæ dicuntur esse UT PLURUMÙM vera, non sanè dicuntur esse semper vera. Necesse

eſt igitur, ut ſcriptor ille fateatur Eccleſiam *indigere* interdum aliquâ aliâ re, *præterquam oculis; ſenſu communi & patientiâ*, ad verum ſymbolorum ſuorum canonumque ſenſum certò cognoſcendum. Non igitur ſola illa perſpicuitas atque evidentia *nos planè prorſus atque omninò certos facit* in ſymbolorum canonumque textibus perſpiciendis, quandoquidem non habent omnes eam perſpicuitatem, eam evidentiam quæ ſit in promptu, neque poſſit non ſentiri. Oportet præterea ut *ad naturalem Eccleſiæ prudentiam adjungatur præcipuum iſtud auxilium quod promiſſum eſt*. Eo pacto corruit infallibilitas ea merè naturalis, quæ ſolâ textuum evidentiâ nititur. Declaratur illa non ſatis eſſe, ad eam adjungitur *promiſſio*, quâ *præcipuum* ſancti Spiritûs *auxilium* certum efficitur. Quare diſtinctio illa tantoperè venditata, textuum clarorum & obſcurorum, quâ diſtinctione totum recentioris hujus ſcriptoris opus abſolvitur, nihil prorsùs ad controverſiam noſtram attinet, ſi modò ea eſt de iis decretis quæ vim habeant ſymbolorum ac canonum. Itaque ſine ullis diſceptationum ambagibus tria illa volumina puncto temporis evaneſcunt; univerſa pariter ejus traditio eamdem rui-

nam trahit. Quippe necesse est, ut suus eam autor diffiteatur ac repudiet, si eâ probatur Ecclesiam esse obnoxiam errori in dijudicandis textibus eorum decretorum, quæ symbolorum & canonum vim atque authoritatem habeant. Secum ipse pugnaret, si suam illam traditionem opponere vellet ad infallibilitatem eam, quæ non minùs ex ipsius dictis, quam ex nostris apertè conficitur. Quid igitur emolumenti hominibus è sectâ afferre possunt tria ipsius volumina tanto tempore, tanto studio expetita tanquam ultimum sectæ perfugium? Hoc unum scilicet assequuntur, ut planum faciant, homines vel maximè subtiles atque argutos causam hanc tueri non posse, nisi secum ipsi pugnent, & id ipsum fateantur, quod maximè à se oppugnari præ se ferunt.

4. Denique si vellent homines è sectâ infallibilitatem hanc eludere eo prætextu quem scriptores quidam commenti sunt, quasi Ecclesia possit errore facti labi circa propriam significationem vocum, sed ita tamen, ut suâ autoritate *phraseos* seu locutionis mutationem induceret, tum certè scriptor notarum exclamaret, futurum ut Ecclesia, si vel minimùm immutaret locutionem in decretorum suorum

Via pacis p. 10.

tum textibus, eos nimirum textus *ipsa interpretaretur atque explicaret ubi foret opus.* Atqui tam perspicuum est quam quod maximè, dici nullâ ratione posse Ecclesiam errore lapsam esse, si nullam unquam mutationem inducit in locutionem, nisi ut sua decreta *interpretetur atque explicet*, ac depositum eâ ratione communitum faciliùs adversùs Novatorum calumnias & ambiguè dicta tueatur. Nihil est tam remotum ab errore facti circa textus, quam diligentia in vocibus ipsis explicandis, ubi primùm illarum usus ac significatio vel minimùm immutatur. Si divinæ promissiones fidem faciunt nunquam fore, ut Ecclesia locutionem suam immutet, nisi priùs nos mutationis illius admoneat, ne fortè inducamur in errorem, eædem promissiones fidem quoque faciunt Ecclesiam non modò non erraturam esse in significatu verborum, sed etiam summâ quâdam eâque infallibili diligentiâ provisuram, ne nos unquam in significatu verborum erremus. *Not. p. 469.*

5. *Silentii defensor* speravit se posse hac argumentatione nostrorum omnium argumentorum vim infringere. *Ille error Ecclesiæ, quem Illust. Arch. Cameracensis tantoperè reformidat, locum habere* *p. 1350. & 1351.*

nullum potest, nisi in libris iis, quorum sensus ambiguus est & controversus..... *atqui* ILLA IPSA AMBIGUITAS ET CONTENTIO REMEDIUM AFFERT IIS OMNIBUS INCOMMODIS, *quæ ille Præsul tam gravibus verbis exaggerat. Nam in ejusmodi contentionibus & controversiis mira est omnium in eâdem doctrinâ tenendâ consensio.* QUOD HIS, HOC ET ILLIS PARITER CATHOLICUM VIDETUR; RURSUM QUOD AB HIS, HOC ET AB ILLIS TANQUAM HÆRETICUM ÆQUE REPUDIATUR. *Divinus ille Spiritus, qui perpetuò adest Ecclesiæ, nunquam sinet eam errore facti labi ad damnandos libros ullos; quorum doctrina tota pura & Catholica sit, nisi simul* ARGUMENTA SUPPETANT PERVULGATA ET PUBLICA, *ad quæ quisquis volet attendere, non possit sibi inducere in animum Ecclesiam iis libris damnandis ..... doctrinam illam damnare voluisse.*

Hanc orationem totam siquis paulò diligentiùs perpenderit, intelliget facilè quantum illa sit omni ex parte vitiosa. 1. Vult ille scriptor vel unam *contentionem remedium afferre iis omnibus incommodis*. Mirum verò & inauditum remedium! Poterunt septem vel octo Novatores, quales in Hollandiâ delites-

cunt, canonem eludere; ipsa eorum contentio suam Ecclesię infallibilitatem etiam naturalem auferet, quâ sublatâ, canon ille nihil erit ampliùs præter problema quoddam, de quo nullus erit quęrendi & disceptandi finis. Novatores id tenebunt, canonis anathema pertinere dumtaxat ad sensum quemdam improprium atque alienum, quem Ecclesia scilicet errore facti lapsa sensum proprium ac verum esse credidit. Hoc unum scriptor ille proponit, quo subveniatur *iis omnibus incommodis*, quæ ex *errore Ecclesiæ* nascerentur. 2. Illud ponit, quod poni sanè non debet, in eâ causâ de quâ jam quæritur, *quod his, hoc & illis pariter Catholicum videri.* Enimverò Novatores semper anathema detorquebunt ac derivabunt ad sensum quemdam improprium, alienum, inanem & frivolum, ut scilicet suum hæreticum dogma, quod sensu proprio continetur, tueantur ac deffendant. Verbi gratiâ, in Jansenianâ causâ, Jansenii discipuli volunt damnationem omnem pertinere ad dogma quoddam exaggeratum & commentitium, quod nemo unquam Jansenio tribuit, ut eam nimirum depellant ac removeant à dogmate delectationis ejus, quam sequi necesse est, quia illa libe-

rum arbitrium & prævenit indeclinabiliter & insuperabiliter determinat. Illius delectationis dogmate absolvitur hoc systema, quod totum Jansenii textum legenti manifestum est ac veluti in oculos incurrit. Atqui hoc systema non sanè *& his & illis pariter Catholicum videtur.* Qui adversantur Jansenio, stirpem hanc esse deffendunt ex quâ hæreses quinque veluti rami totidem oriantur ; at illud idem systema homines è sectâ *cælestem S. Augustini doctrinam* appellant. Hujus dogmatis nomine volunt omnes Catholici, qui quidem religionis causæ student, Jansenii textum fuisse damnatum ; neque verò seriò potuit nisi eo nomine damnari. Si valet illud exemplum hominum è sectâ, nullus erit jam Novator, qui non speret se impunè posse canonis cujuslibet anathema rejicere in sensum aliquem damnati textûs improprium, atque eâ ratione deffendere proprium ejus sensum, qui hæresim suam complectetur. 3. Quo tandem pacto scriptor ille conficiet semper contingere, ut *argumenta suppetant pervulgata & publica*, ex quibus fideles omnes intelligant non damnari canone sensum textûs alicujus proprium, quippe qui sit Ecclesiæ doctrina, sed sensum dumtaxat

improprium. Quid esse potest, quo populi satis admoneantur canonem esse hac ratione contorquendum, futurum esse ut eo canone labefactaretur fides, nisi sensus ei contortus violentusque tribueretur? Quis non cum horrore quodam atque indignatione aures occluderet, si vel parochus in statis suis concionibus, vel in scholâ Theologus, vel etiam Episcopus in Mandato edicere auderet, canonem illum Catholicum non esse, nisi quatenùs ad alienum sensum detorquetur, sensum verò textus damnati proprium non modò non esse dignum anathemate, sed esse veræ fidei dogma purum ac sincerum? Septem vel octo perfugarum Theologorum *contentio* satis ne erit, ut *remedium afferat omnibus incommodis*? Quid ergo? contendere satis erit, ut canon quispiam vel decretum ejusdem roboris detorqueatur ad sensum alienum ac violentum, atque adeò pro absurdo ac ridiculo habeatur? Satisne erit defendere, canonem seu decretum non posse pertinere ad sensum textûs damnati proprium, quia sensus ille proprius ponitur esse ipsa cœlestis doctrina traditionis? Quis verò erit unquam inter Novatores, qui non ita loquatur, si hominum è sectâ exemplum

sequi, & illud idem facere se impunè posse confidat? Hoccine est ergo solum *remedium*, quod noster ille adversarius excogitare potuit, ut canonum similiumque decretorum autoritati consuleret? Expectandumne erit à sectâ aliquâ damnatâ, ut suâ contentione & pervicaciâ canones emendet, cum illi si proprio sensu religiosè accipiantur, injusti erunt atque adversùs fidem pestilentes?

Quid igitur, nam iterum dicendum est, fit hoc toto opere tantæ confidentiæ pleno? Nimirum necesse est ut suâ perpetuâ dissensione totum labefactetur & concidat. Quod ab eo scriptore nobis datur, illo contenti esse possumus. Suâ confessione induitur ac jugulatur, dum ait promissionum divinarum fidem postulare, ut Ecclesia sit immunis ab erroris periculo in significatu eorum verborum, quæ in suis symbolis, canonibus ac decretis generis ejusdem contexendis usurpat.

Nihil attinet hoc loco disputare de criticâ, de grammaticâ, de evidentiâ, de notitiâ publicâ, de contentione partium, de locutionis immutatione. Quippe *præcipuum istud auxilium*, *quod* à Spiritu sancto *promissum est*, ad *prudentiam* Ec-

cleſiæ *naturalem adjungitur*, ut omnis error facti prævertatur. Si vel minimam Eccleſia mutationem induceret in verborum ſuorum uſum, eam continuò notam faceret, ipſa verba *interpretaretur atque explicaret*, neque ullum unquam ſeductionis periculum filios ſuos adire pateretur. His igitur omnibus primum illud, quod ſuſcepimus oſtendendum, abſolutum eſt. Jam ſupereſt ut oſtendamus damnationem textûs longioris Janſeniani tantumdem valere, quantum valeret textûs alicujus brevioris damnatio, quæ canon ſolet appellari.

PARS ALTERA.

Quâ demonstratur textûs Janseniani damnationem omnino tantumdem valere, quantum valet alicujus œcumenici Concilii canon.

SPectari possunt in canone 1. quidem auctoritas quæ nobis illum offert. 2 Materia & forma quibus constituitur. 3 Finis cujus causâ conditus est. Atqui ut nos modò ostendemus, Janseniani textûs damnatio planè canoni similis haberi debet, cum ab eâdem autoritate profecta sit, eâdem tum materiâ tum formâ constet, eodem denique fine sit edita.

I.

De autoritate illâ, quę nobis offert damnationem Janseniani textûs.

CAvet sedulò *silentii obsequiosi deffensor*, ne unquam illam quęstionem attingat,

an Ecclesia sit, quæ adversùs Jansenianum textum pronunciaverit. *Quamvis*, inquit, *fuerim pollicitus me eâ de re esse disceptaturum, ostensurumque non posse Ecclesiæ tribui Decretum de Janseniano facto.... Tamen ita fui longus hactenus, ut ne tædium lectoribus afferat nimia longitudo, necesse mihi sit illa præterire omnia, quæ de eâ re dici facilè possent, & lectores ad ea scripta remittere, quibus ostensum est, & multis factis palmariis usque insignibus declaratum, nullum unquam librum aut sæpius damnatum fuisse, aut minus diligenter cognitum, quam fuerit Jansenii liber.* Itaque scriptor ille tribus voluminibus iisque copiosis locum non reperit attingendi illud quo tanquam fundamento sua causa nititur. Totum hoc rejicit ad Diarium Lud. de Sancto Amore, librum commentis satyricis refertum. Nos verò non committemus, ut vel ullum proferamus verbum, quod non solemnibus sanctæ Sedis Clerique Gallicani monumentis fulciatur. Cap. 44. Concl. p. 1387.

Dabit nobis æquus lector hanc veniam, ut totius hujus damnationis historiam quam brevissimè texamus.

1. Anno 1641 summus Pontifex Urbanus VIII. latâ adversùs Jansenii librum constitutione declaravit *ex dili-*

genti & maturâ ejus libri ... lectione compertum fuisse multas ex propositionibus suorum jam decessorum autoritate *damnatis contineri.*

2. Anno 1653. Innocentius X. librum eumdem constitutione damnavit, tanquam quo hæreses quinque continerentur.

3. Anno 1656. Alexander VII. constitutione denunciavit Jansenianí libri causam cognitam coram se fuisse, dum Innocentio X. summo Pontifice ipse Cardinalis adhuc esset, & *discussam eâ profectò diligentiâ, quâ major desiderari non posset*, idemque decrevit quinque hæreses contineri libro Jansenii, si liber ille sumatur eo sensu quem scriptor exhibuit.

4. Anno 1665. idem Alexander VII. alteram edidit constitutionem, adjunctâ formulâ, in cujus verba qui jurarent, ii textum Jansenianum à se hæreticum credi testarentur,

5. Anno 1705 Clemens XI. qui nunc Apostolicam Sedem obtinet, constitutione editâ, statuit, *ad obedientiam Apostolicis constitutionibus* debitam exhibendam, atque ad vitandum in formulæ subscriptione perjurium non *satis esse, si eâ de re obsequiosum; ut ipsi vocant*,

ſilentium teneatur, neque *formulæ ſubſcribi licitè poſſe ab iis, qui interiùs non judicant Janſenii libro doctrinam hæreticam contineri*. Variis præterea brevibus ſcriptis ſummi Pontifices Innocentius X. Alexander VII. Clemens IX, Innocentius XII. & Clemens XI diligenter præceperunt, ne hæ quinque conſtitutiones eluderentur.

6. Anno 1650. Epiſcopi Galliæ quinque & octoginta ſcriptâ communi ad Innocentium X. Epiſtolâ damnationem hujus libri poſtularunt. Fuère quidem eorum Collegæ undecim, qui & ipſi per litteras petierunt ne quidquam decerneretur. Sed Apoſtolica Sedes hujus petitionis nullam habuit rationem, atque illi nihilominus coacti ſunt quod ultrò cæteri fecerant, damnationem libri ratam habere.

7. Anno 1653. Epiſcopi 40. congregati nomine Cleri Gallicani conſtitutionem Innocentii X. acceperunt, & ſe in libro damnando ad ſummum Pontificem adjunxêre.

8. Anno 1654. alter Præſulum 40. cœtus judicium idem adversùs ſectæ illius effugia confirmavit.

9. Anno 1655. Epiſcoporum 17. cœtus in eodem decreto defendendo firmus fuit & conſtans.

10. Anno 1656. Episcopi 40. decretum idem suo cœtu confirmarunt.

11. Anno 1660 cœtus Episcoporum 45. in idem judicium conspiravit.

12. Anno 1675. Episcopi 30. congregati prorsus idem judicarunt.

13. Anno 1700. decretum idem fuit ab Episcoporum sexdecim cœtu.

14. Anno denique 1705. cœtus universus Episcoporum 30. Clementis XI. constitutionem accepit absque ullâ restrictione, ac deinde omnes Episcopi tum Galliæ tum Belgii hoc Sedis Apostolicæ judicium sine ullâ pariter restrictione acceperunt, & solemni ritu ratum esse voluerunt.

15. Episcopi quidem quatuor anno 1667. professi sunt eâ se tantùm lege & obsignare formulam, & eam à suis obsignari jubere, ut jus, in quo fidem absolutam pollicebantur, distinguerent à facto, in quo se intra silentium obsequiosum continebant. Neque illud negari potest, ubi agi cæptum est de quatuor illis Episcopis suo loco dimovendis, fuisse Præsules undeviginti, qui se pro iis interposuerint. Verùm undeviginti certè Episcopi formulam jam absque ullâ restrictione & obsignaverant ipsi, & à suis obsignari jusserant, præto-

teaque ſancta Sedes nullam viſa eſt hujuſmodi interpoſitionis habere rationem. Clemens IX. nihil quidquam ad ipſorum Epiſtolam reſpondit, ſeque profeſſus eſt *nullam unquam* ejus quod factum dicitur *reſtrictionem fuiſſe admiſſurum.* Jam ab eo tempore Epiſcopi prorsus omnes, excepto nemine, viſi ſunt fidem internam de hæreticitate Janſeniani textûs & ipſi jurare, & ut alii jurarent, præcipere. Nihil poſſunt vel homines è ſectâ commemorare præter furtivam quamdam reſtrictionem, quę *proceſſibus ut aiunt verbalibus intra tabularia abditis* contineatur. Omnes igitur nemine prorsus excepto Galliæ Epiſcopi per hos annos 60. Janſenii textum damnavêre tanquam hęreticum, dum quinque conſtitutiones ratas habuêre. Horum Epiſcoporum ſi quis inire numerum velit, occurrent facilè in tam longâ annorum ſerie quadringenti. De tot Epiſcopis in eâdem re judicandâ cum ſanctâ Sede conſpirantibus idem dici poteſt quod aiebat ad Julianum ſanctus Auguſtinus de ſanctis Doctoribus, quorum adversùs Pelagianam hæreſim verba referebat. *Si Epiſcopalis ſynodus ex toto orbe congregaretur, mirum ſi tales poſſent illic faciiè tot ſedere.* Certè non tantus ad ſynodum Tri-

Contrà Jul. l. 2. c. 10. n. 37.

dentinam Episcoporum numerus convenerat. Vidimus hunc *silentii obsequiosi deffensorem*, nihil ad Apostolicæ Sedis totique Episcoporum consentientem autoritatem reponere, præter convicia & maledicta, offensionis & indignissimæ contumeliæ plenissima. Leve huic scriptori videtur tum Ecclesiam matrem ac magistram; tum Episcopos 400. & amplius in crimen vocare, quasi qui ab annis ferè 70. tyrannicam quamdam pervicaciam adhibuerint in damnando Janseniano textu, quem reclamante conscientiâ non dubitaverint affirmare diligenter à se fuisse cognitum, licet eum cognoscere numquam voluerint, maluerintque auctoribus Jesuitis credere illum esse manifestè hæreticum.

16. Atque ut ista accusatio quàm sit atrox & horrenda, quivis intelligat, operæ pretium est advertere de Janseniano textu homines è sectâ sic pronunciare, hunc esse luculentum commentarium in opera sancti Augustini de gratiâ, atque adeò textum hunc non minùs quam sancti Doctoris textum dogmati Pelagiano contradicere. Illud si sequimur, Jansenii quidem textus hæresi Pelagianæ, hujus verò textûs damnatio ipsi huic textui contradicit, atque adeò illa

damnatio cum neget fidei dogma contra hæresim Pelagianam, est apertè Pelagiana. Sunt igitur manifestè Pelagianæ quinque constitutiones & ab Apostolicâ Sede profectæ per annos 70. & ab Episcopis ampliùs quadringentis miro consensu comprobatæ. Hoc scilicet homines è sectâ dicere non verentur. Hoc se perfugio noster ille *silentii deffensor* tuetur. Cum Ariminensis Concilii Præsules formulam Arianam approbavêre, tum verò, ut sanctus Hieronymus ait, *ingemuit totus orbis, & Arianum se esse miratus est.* Si Jansenii textu nihil aliud quàm purum fidei dogma contra Pelagianam hæresim contineretur, dubium jam esse non posset quin formula, quæ scilicet illi textui contradicit, esset ipsâ re atque ipsis verbis Pelagiana. Tum verò formulam hanc Pelagianam & sancta Sedes & Episcopi quadringenti & ampliùs approbassent. Deberet igitur *ingemiscere totus orbis, & Pelagianum se esse mirari.* Pestis illa & contagio jam quinquies ab unitatis centro profecta, & à tot Episcopis per tam multos annos latè diffusa, foret longè longèque tetrior, quàm error ille brevis Episcoporum Ariminensium, qui statim revocaverunt id quod non nisi per errorem admiserant in cap-

Dial adv. Lucifer.

tioso ac fallaci textu comprobando?

17 Hoc decretum ab universâ Ecclesiâ latum esse sancta Sedes affirmat. Postrema constitutio denunciat *Ecclesiam esse audiendam*, dum illa statuit *Jansenii libro doctrinam hæreticam contineri*; addit id nisi fiat, *Ecclesiæ illudi, non pareri.* Omnes igitur Episcopi Galliæ & Belgii, dum eam constitutionem ratam habuerunt, agnovere *audiri Ecclesiam*, atque *Ecclesiæ pareri* ab eo qui librum hunc damnet. Jam antea cœtus anni 1700 pronunciaverat *causam esse finitam*, atque id qui neget *contumeliosum in .... universam Ecclesiam esse.* Quinam sunt, amabo, testes magis idonei quibus credamus de iis, quæ ab Ecclesiâ fieri aut non fieri censenda sunt, Sedesne Apostolica cum tot Episcopis conjuncta, an scriptores aliqui obscuri in aliquo Hollandiæ angulo delitescentes, ut adversùs Pastores omnes scriptis virulentis impunè debacchentur?

18. Sed ipsos hujus sectæ scriptores audiamus. Is qui conscientiæ casum adornavit, ajebat: Pænitenti sic videtur *Satis esse, si in iis quæ* ECCLESIA *de eo facto* DECREVIT, *obsequium reverentiâ & silentio significetur.* Scriptor historiæ Jansenismi, *cum Ecclesia*, inquit, *& superiores*

Tom. 2. p. 277.

ctores offerunt aliquid obsignandum &c. Silentii obsequiosi deffensor de Episcopis omnibus, qui postremam Constitutionem ratam habuêre, sic disputat : MANIFESTUM EST HANC IPSORUM OMNIUM ESSE MENTEM, UT FACTUM ISTUD ABSQUE ULLA DUBITATIONE ADMITTATUR ..... *ille*, inquit, *in clarissimâ luce sibi præcluderet oculos, qui non videret postulari quantùm ad factum pertinet, plenam firmamque fidem & minimè obnoxiam mutationi.* Addit hanc adeò manifestam summi Pontificis totque Episcoporum mentem, *esse ex eo genere factorum, quæ bona fides postulat ut quisque ultrò fateatur, & agnoscat.* Ipse verò apertè confitetur, *illud negari non posse, juxta loquendi rationem a sancto Augustino usurpari solitam prorsus idem esse, si dicatur causam esse finitam, quàm si dicatur Ecclesiam tulisse judicium & minimè obnoxium errori, & nunquam revocandum.* Quare vel ipso fatente, & summus Pontifex & Episcopi omnes qui Constitutionem ratam habuêre, nisi quis velit eorum verba subdolis interpretationibus eludere atque à nativo sensu detorquere, denunciaverunt ipsam esse Ecclesiam, quæ de Jansenii textu judicium tulerit eâ autoritate, quæ obnoxia non sit errori. Prætereà clamant

pag. 15.

p. 875.

hommes è sectâ, suisque omnibus scriptis contestantur, quinque propositiones ab universâ Ecclesiâ esse damnatas. Id agnoscit *silentii obsequiosi deffensor*. Verbi gratiâ, dicit esse quemdam proprium ac nativum quinque propositionum sensum, *quem Summus Pontifex & universa Ecclesia Summo Pontifici consentiens damnaverit.* Atqui judicium illud à *Summo Pontifice* atque ab *universâ Ecclesiâ* latum, unum est atque indivisum, æquè pertinens ad damnandum utrumque textum, alterum breviorem quinque propositionum, alterum libri longiorem. Igitur textus longior non minùs quàm brevior textus à *Summo Pontifice*, atque ab *universâ Ecclesiâ consentiente* damnatus est.

p. 314.

19. Idem scriptor profitetur *illud agi, ut ostendatur omnia prorsùs Mandata, nullo excepto, quæ ab annis tribus prodiêre, deffendi nullâ ratione posse, si non est Ecclesia in eâ re dijudicandâ immunis ab erroris periculo.* Quare non possunt, illo scriptore fatente, vel Summus Pontifex, vel Episcopi illi qui Constitutionem Pontificiam ratam habuêre, ullâ ratione deffendi, nisi statuantur credidisse judicium illud profectum esse ab infallibili Ecclesiæ autoritate. Fatetur & illud idem scriptor, nullum à se posse appellari Episco-

pum, qui Janseniani textûs damnationi fuerit refragatus. Imò & nullum reperiet in Ecclesiâ totâ Episcopum ab annis 70. qui eâ in re à Summis Pontificibus & Ecclesiæ Gallicanæ comitiis dissenserit.

20. Idem scriptor fatetur universæ Ecclesiæ esse tribuenda decreta omnia, quæ ab Apostolicâ Sede sic profecta sunt, ut plurimorum Episcoporum consensus accesserit. *Animadvertit*, inquit ille, *Illust. Archiepiscopus Cameracensis, S. Leonem spectare tanquam ab universâ Ecclesiâ decretum id omne, quod Conciliorum particularium, quæ Sedis Apostolicæ confirmavit autoritas, decretis continetur. Nemo est verò, qui rem adeò certam revocare velit in dubium. Illud ipsum Theologi Augustiniani sæpiùs animadverterunt, cum de secundâ Arausicanâ synodo verba fecêre.* Eumdem iterùm audiamus. *Illud negari non potest, juxta loquendi rationem a S. Augustino usurpari solitam prorsùs idem esse, si dicatur causam esse finitam, quàm si dicatur Ecclesiam tulisse judicium & minimè obnoxium errori, & nunquam revocandum ....., scilicet Conciliorum judicium primæ Sedis judicio confirmatum, atque omnium undique plausu, & gratulatione exceptum,* p.875.876.

ſanctus Doctor ſpectabat ut judicium decretorium, ſupremum, minimè revocandum, quo Pelagianis omnis ſpes, omnis hæreſeos ſuæ deffendendæ locus adimebatur. Hanc normam ſi ſequimur, jam finita atque abſoluta ſunt omnia. Quinque Sedis Apoſtolicę Conſtitutionibus, quas tot tamque frequentes cœtus tanto conſenſu ratas habuêre, *judicium* continetur ſanè *decretorium*, *ſupremum*, *minimè revocandum*. Neque ſecunda ſynodus Arauſicana, neque Africanæ ſynodi adversùs Pelagianam hæreſim celebratæ, parem habuêre numerum Epiſcoporum, ſcilicet quadringentorum & ampliùs, qui per annos 70. Janſenii librum damnavêre. Epiſtolæ Summorum Pontificum Innocentii & Zoſimi nunquam tam ſolemnes fuêre, quàm quinque conſtitutiones ſummo totius Eccleſiæ plauſu ſuſceptæ. Neceſſe eſt igitur, ut ipſe *ſilentii deffenſor*, ſi modò ſibi conſentaneus eſſe velit, dicat Janſenii cauſam prorsùs eſſe finitam eo judicio, *quo* ejus cauſæ patronis *omnis ſpes*, *omnis* illius *deffendendæ locus adimatur*. Neceſſe eſt ut dicat, *Nemo eſt verò qui rem adeò certam revocare velit in dubium*. Cauſa hæc finita eſt, quemadmodum finita erat Pelagianorum cauſa, cum eam fini-

tam esse S. Augustinus affirmabat, quamquam illâ ætate sola sanctæ Sedis atque synodorum ex Africâ particularium autoritas intercessisset. Necesse est ut scriptor ille, si modo constare sibi velit, dicat *Ecclesiam tulisse judicium & minimè obnoxium errori, & nunquam revocandum.* Ex iis quæ ipse statuit, consequitur *spectari* debere *tanquam ab universâ Ecclesiâ decretum* id omne, quod ab Apostolicâ Sede, illo unitatis centro decretum est, simulque a synodis particularibus, seu frequentibus Ecclesiæ cœtibus judicatum.

21. Frustrà scriptor alter *deffensionis omnium Theologorum* istud fundamentum convellere nititur, dum ait *duas tertias orbis Christiani partes parùm omninò curavisse* judicium hoc adversùs textum Jansenii. Sanè *duæ tertiæ orbis Christiani partes* non possunt non valdè *curare*, quid reliqua tertia pars, in quâ versatur & caput, & unitatis centrum, agat circa textus eos, quibus fidei depositum aut servari potest aut corrumpi. Fieri prorsùs non potuit, *ut duæ tertiæ orbis Christiani* seu potiùs Catholici *partes* ignorarent eam controversiam, ad quam ipsi Protestantes, societatesque omnes hæreticę tam diligenter attenderunt, ut illius

Avertiss. p. 12.

oportunitate adversùs nos abuterentur. Si sancta Sedes atque Episcopi quadringenti damnavissent textum aliquem non minùs purum, quam purus est sancti Augustini textus adversùs hæresim Pelagianam, si formulam Pelagianam autoritate suâ comprobassent, atque illam universę Ecclesiæ nomine obtulissent, Ecclesia profectò, quæ ex promissionibus divinis valdè semper *curat* illud omne, quo depositum potest in aliquod periculum adduci, non potuisset non diffiteri formulam illam Pelagianam ac tyrannicam, quæ ipsi nimirum falsò tribueretur. Si hæreticus *sermo* etiam privati cujuslibet, *ut cancer serpit* adversùs fidem, quanto magis serperet ut cancer adversùs eandem fidem ea formula, quę esset conceptis verbis Pelagiana, siquidem ea præscribit damnationem & quidem jurejurando testatam, illius textûs qui tam purus esset quàm sancti Augustini textus contrà hæresim Pelagianam; præsertim verò cùm ea formula sanctæ Sedis atque Episcoporum quadringentorum autoritate comprobatur, atque etiam ab iis Ecclesiæ totius nomine offertur? Tum sanè fieri non potest, ut veritatem oppressam Ecclesia sine testimonio relinquat. Illud summum depo-

sti periculum *duæ tertiæ orbis Christiani partes* neque ignorare possent, neque securè ac negligenter tolerare. Non posset illud ab Ecclesiâ ignorari, quod scilicet diligenter animadvertitur etiam ab omnibus sectis vel maximè disjunctis ab unitatis centro, & Catholicæ fidei infensissimis. Fieri ergò prorsùs nequit, ut non illud perceperint Ecclesiæ omnes, quæ cum illo centro perpetuâ communione conjunctæ sunt. Sed neque tolerari summum illud periculum posset. Ageretur enim de formulâ, deque jurejurando Pelagiano, quod per vim ac tyrannidem Ecclesiæ ipsius nomine extorqueretur ab omnibus veræ fidei custodibus. Nulla unquam fuit persecutio magis periculosa. Nullius unquam tentationis tam funestæ, tam diuturnæ discrimen fides adiit. Nihil habuit Ariminensis synodi vexatio, quod posset cum hac causâ conferri. Tum verò Ecclesia cogeret illicò generales synodos, atque omni ope niteretur pestem hanc ab Episcopis 400. atque ipso fidei Catholicæ centro profectam compescere. Foret veneni fons ac sedes in ipsis Ecclesiæ medullis. Facillimum esset Ecclesiæ tanto malo afferre remedium, si ejuraret nimirùm palamque repudiaret formulam

illam impiam & tyrannicam, quæ ipsi tribueretur: Quis existimet illam interim cessare, neque de se deffendendâ ac purganda, neque de servando hac ratione deposito esse sollicitam? Nonne ejus silentium in ejusmodi re, ignava quædam esset atque iners conniventia, quâ depositum proderetur, & quæ loco taciti consensûs haberi deberet? Frustrà jactat *silentii obsequiosi deffensor*, nos hic agere tragædias, & nimios esse in prædicandis iis quæ ex ipsius sectæ placitis consequuntur. Solis luce clarius est, nos nullâ in re nimios esse. 1. Nonne est manifestum textûs cujuspiam damnationem esse illi textui oppositam & contradicentem? 2. Nonne manifestum est, si modò Jansenii textus nihil affirmat aliud præter illud dogma fidei, quod S. Augustinus adversus Pelagianam hæresim propugnavit, eâ damnatione quæ textui adeò puro contradicit, negari illud ipsum fidei dogma, quod eo textu affirmatur? 3 Nonne est extra controversiam eo posito, illud idem dogma fidei jurejurando formulæ repudiari, atque adeò approbari Pelagianam hæresim quæ illi dogmati est opposita? 4. Jam nonne illud certum est, judicium hoc & jusjurandum scilicet Pelagianum à sanctâ Sede

atque ab Episcopis ampliùs quadringentis approbatum fuisse ? Fuitne unquam tanta ab Apostolorum temporibus veritatis oppressæ calamitas ? Atqui calamitatem illam jam annos ferè septuaginta Ecclesia videt, eamque dum silet, probat. Summus Pontifex atque Episcopi perpetui sunt in eo, ut decretum ab Ecclesiâ profectum esse denuncient ; ipsa non diffitetur, atque hanc impietatem cum tyrannide conjunctam suo silentio in se derivat & suam haberi patitur. Quare vero homines è sectâ non provocant ad Concilium, si totius hujus molitionis autorem Ecclesiam non esse arbitrantur? At quinam illi sunt, qui provocare possunt ad Concilium ? Non sanè major illa sectæ pars, nimirùm constans ex iis, qui fatentur decretum ab Ecclesiâ profectum esse, quique adeò subscribunt formulæ, jusjurandum jurant, atque ab omnibus subscribi, ab omnibus jurari oportere profitentur. Quis igitur illam provocationem denunciabit ? Quo tandem jure septem octove homines in Hollandiam fugitivi, qui ne suum quidem nomen proferre sustinent, confidere possunt, fore ut ad ipsorum causam cognoscendam synodus generalis congregetur ? Nonne illi vocem hanc à Christi

Vicario prolatam audiunt eâ Constitutione, quæ omnium plausibus est excepta, *causa finita est* ? Nonne hic potest illos verbis iisdem increpare, quibus S. Augustinus Pelagianos increpabat & numero & autoritate longè potiores ? *Similes .... estis Maximianistis, qui cupientes exiguitatem suam nomine saltem certaminis consolari, & ideò videri aliquid apud eos, quibus contemptibiles erant, quia inire nobiscum sinerentur examen .... Maximianistæ vos ad ista vaniloquia præcesserunt, quamvis dederit vobis Ecclesia Catholica judicium quale debuit, ubi causa vestra finita est.* Post annos ferè 70. per quos continuò damnatus fuit Jansenii textus & quinque Constitutionibus, & tot Brevibus à summo Ecclesiæ capite scriptis, & tot cœtuum deliberationibus, & tot mandatis Episcoporum, cum neque Ecclesia, neque verò ullus etiam Episcopus videatur adversùs hanc seu libri seu systematis Janseniani damnationem insurgere, manebuntne homines è sectâ semper obstinati, & Judæorum instar liberatorem quemdam commentitium expectabunt ?

Contrà Jul. l. 3. cap. 1. n. 5.

22. Quæramus ex ipso *silentii obsequiosi deffensore*, quid sibi velit, cum ait illud judicium quod à *primâ Sede* & à

plurimis Episcopis pronunciatum est; censeri ab Ecclesiâ universâ profectum esse, ita ut & immune sit ab erroris periculo, & revocari non possit ampliùs, modò tamen illud *omnium undique plausu & gratulatione sit exceptum*. Sed in quo tandem *plausum* hunc positum esse contendit? Idne postulat, ut Ecclesiæ omnes communionis Catholicæ plausum suum perscriptâ autoritate testentur? Id verò in nullius Concilii canonibus approbandis gestum esse comperiet. Præterea satis nobis est ipsum audire, atque ipsius stare judicio. *Si agitur de Concilio regionis alicujus singularis, verbi gratiâ, Africæ, hæc Ecclesia sanctæ Sedi ac per sanctam Sedem aliis Ecclesiis omnibus proponit, quid in suâ traditione repererit, qui cum nulla Ecclesia contradicat, sed potiùs suo consensu vel expresso, vel certè* TACITO *significent omnes &c.* Hoc loco duo & quidem decretoria confitetur. Primum quidem, sanctam Sedem esse veluti canalem, cujus ope *regionum singularium Ecclesiæ* secum invicem perpetuò communicant ea, quæ ad commune depositum faciunt. Et verò omnes *singularium regionum* Ecclesias, etiam remotissimas alloquitur is, qui alloquitur ipsum centrum, quò omnes illæ quasi lineæ con- p. 1198.

veniunt, & ubi veluti circuitione quadam ille reciprocus traditionis itus ac reditus absolvitur. Alterum hoc idem scriptor fatetur, se judicium hoc, quod *omnium undique plausu & gratulatione sit exceptum*, non intelligere illud, quod scripto vel etiam vivâ voce ratum habitum fuerit, sed illud dumtaxat, quod ab Ecclesiis neque ignoratum fuerit, neque repudiatum. *Cum*, inquit, *nulla Ecclesia contradicat, sed potius suo consensu vel expresso vel certè* TACITO *significet &c.* Intelligitis vel ipso fatente, satis esse ubi quid est à sanctâ Sede & à plurimis Episcopis decretum, si *nulla Ecclesia contradicat;* satis esse, si quod decretum est, aliæ Ecclesiæ *suo consensu ..... tacito* ratum habeant. Itaque vel ipso teste, nisi quis velit vera autoritatis fundamenta convellere, postulare à nobis nemo potest, ut perscriptis autoritatibus litterarumque monumentis conficiamus Ecclesiæ universæ consensum extare in damnando Janseniano textu. Satis est, *si nulla Ecclesia contradixit.* Satis est, si Ecclesiæ singulæ, nullâ exceptâ, judicium hoc *suo consensu .... tacito* ratum habuêre. *Tacitus* est ille consensus, qui neque scriptus est, neque ore prolatus, sed in solo Ecclesiarum silentio positus,

quæ cum hoc centri judicium non ignorent, non existimant esse sibi committendum, ut illi refragari aut intercedere videantur. Itaque solis nominibus commutatis facilè deprehendemus adversarium nostrum conceptis verbis id ipsum fateri de quo contendit. (Debet *spectari tanquam ab universâ Ecclesiâ decretum id omne*, quod adversùs textum Jansenii sancitum est, quandoquidem illa damnatio continetur iis frequentissimorum Episcopalium cœtuum decretis, *quæ Sedis Apostolicæ confirmavit autoritas: Nemo est verò qui rem adeò certam revocare velit in dubium.* Cum Episcoporum 400. & ampliùs de textu Janseniano judicium *prima Sedis judicio confirmatum* sit, atque *omnium undique plausu & gratulatione exceptum*, necesse est illud esse *decretorium*, *supremum*, *minimè revocandum.* Eo Jansenianis hominibus *omnis spes*, *omnis hæreseos suæ deffendendæ locus adimitur.* Frequentes cœtus *regionis alicujus singularis*, nimirum Galliæ, *sanctæ Sedi ac per sanctam Sedem aliis Ecclesiis omnibus proposuêre* quid sentirent ; *nulla Ecclesia contradicit*, imò suo silentio omnes *consensum .... tacitum* adjungunt.)

Est igitur manifestum, vel ex iis quæ

ab illo ſcriptore ſtatuta ſunt, cenſeri ab universâ Eccleſiâ profectum eſſe judicium hoc adeò per omnes orbis Christiani provincias celebratum, cui nullus unquam Epiſcopus contradixit. Id unum nobis opponi poteſt, ejuſmodi judicium pertinere tantùm ad *factum momenti nullius* de privati cujuſdam autoris textu, atque adeò fieri potuiſſe, ut in eo Eccleſia vel univerſa falleretur. Id verò jam expediemus, cum de damnationis illius materiâ & formâ diſputabimus.

I I.

De materiâ ſeu textu, de quo pronunciavit Eccleſia, & de formâ damnationis adversùs Janſenii librum pronunciatę.

UT illud quod nos volumus, quam verum ſit omnes facilè perſpiciant, operæ pretium erit textûs Janſeniani damnationem accuratè componere cum canone quarto ſextæ ſeſſionis Concilii Tridentini.

1. Concilii Tridentini canon æquè eſt textûs alicujus damnatio, ac judicium latum adversùs textum Janſenii, ad co-

hibendam hæreseos propagationem, fidemque puram servandam. Textus quilibet sive longior ille sit, sive brevior, æquè textus est, æquè uterque est series quædam & continuatio verborum, quorum sensus pendet ab ipsarum vocum usu, ab regulis grammaticæ & logicæ, atque etiam fortasse ab aliquâ criticæ notitiâ, quâ nimirum vocum significatio deprehendatur, habitâ ratione temporis illius, quo textus ipse conscriptus est. Æquè in textum breviorem ac in longiorem cadere potest, ut clarus sit vel obscurus, ut sit controversus, vel adeò manifestus atque evidens, ut nulla de eo possit esse controversia. Quare eatenùs quidem tam paria sunt omnia, ut nullum verum queat afferri discrimen, quo vel hujus vel illius damnatio plus ponderis atque autoritatis habere videatur. Si potest Ecclesia, minimè obstantibus illis grammaticæ, logicæ & criticæ regulis, textum breviorem absque erroris periculo damnare, poterit quoque eodem sancti Spiritûs præsidio freta in textu longiore damnando easdem grammaticæ, logicæ & criticæ regulas non infringere. Si quæ est promissio divina, illa certè non ad solos textus breviores pertinet, non in-

tra numerum quemdam verborum, linearum, paginarumque continetur, ita ut ultra numerum illum Ecclesia continuò spiritu illo promisso destituatur.

2. Textus brevior qui canone damnatur, non magis est dogmaticus, quam longior Jansenii textus. Quippe textus brevior idcircò tantùm est dogmaticus, quia de gratiâ & de libertate agit: Atqui textus longior totus est in libertate & gratiâ pertractandâ. Est igitur uterque æquè dogmaticus.

3. Textus seu longior, seu brevior, neque revelatus est, neque ab eo conscriptus, qui divino Spiritu instinctus fuerit. Apparet textum breviorem perscriptum fuisse ab aliquo Concilii Tridentini Theologo, qui voces quasdam è Luthero, Calvinoque collegerit, quas damnandas Patribus exhiberet. Textus longior scriptus est à Jansenio ante hos annos 70. Itaque illud quod homines è sectâ vocare amant *factum de aliquo textu non revelatum*, æquè in textu breviore & in longiore reperitur.

4. Textus longior non minùs quàm brevior legi ab Ecclesiâ & cognosci potest. Certè S. Augustini de gratiâ textum multò longiorem Jansenii textu, multò magis perplexum atque implicatum,

tum, longè difficiliorum ad intelligendum, Ecclesia non temerè approbavit, sed postquam eum accuratè diligenterque cognovit. Neque verò Ecclesia per annos 70. non potuit eandem in cognoscendo Jansenii textu diligentiam adhibere, quam adhibuit in S. Augustini textu, præsertim cum Jansenii textus totus in explicando S. Augustini textu versetur, atque adeò clarior esse debeat & ad intelligendum facilior. Et verò ipsius systema ferè ad singulas pagellas sic occurrit, ut non possit non agnosci. Est veluti quidam brevior textus sæpiùs & diversâ ratione repetitus, ut evadat clarior. In cognoscendis quidem textibus, seu longioribus, seu brevioribus Episcopi singuli diligentiam adhibent secundùm mensuram donationis Christi unicuique concessam. Sed *spiritus ille præcipuus qui promissus est*, *adjungitur ad eorum naturalem sapientiam*, & *quod iis deest*, *supplet atque addit de suo*, ut conclusio firma sit, atque ab erroris periculo sejuncta.

5. Textus brevior non magis est Ecclesiæ proprius quàm longior. Neutrum ipsa contexuit. Textus brevior propositus videtur ab aliquo Concilii Theologo, quasi expressus ex Lutheri Calvinique verbis, ut de eo damnando Concilii Pa-

tres agerent. Illi nihil aliud addiderunt, præter has voces canoni præfixas, *si quis dixerit*, & hanc clausulam, *anathema sit.* Fieri non potest, ut textus ille quem Ecclesia canone damnat, textus sit Ecclesię proprius. Eum quippe refert tanquam non suum, tanquam alienum, idcò refert ut neget, ut diffiteatur, ut rejiciat quasi à suâ fide abhorrentem, ut anathemate feriat. Manifestum est eum textum, quo dicitur *liberum hominis arbitrium motum à Deo & excitatum non posse dissentire si velit*, & quem hic canon addito anathemate damnat, non magis esse textum Ecclesię proprium, quàm ea Juliani verba, quæ consultò refert S. Augustinus ut ea refellat, dici possunt esse verba S. Augustini, aut esse textus *operis imperfecti adversus Julianum*, non magis quàm verba desumpta ex *deffensore silentii obsequiosi*, quæ nos hocce opere repræsentamus idcircò, ut *deffensorem* ipsum confutemus, existimari nostra verba debent. Nihil est igitur magis alienum à vero, nihil quod minùs probari queat, quàm illa tantopere prædicata disparitas inter proprios Ecclesiæ textus, symbola nimirùm & canones, & textus alienos quidèm, scriptos nimirum à privatis quibusdam autoribus, sed de

quibus ipſa judicat. Symbolum quippe nihil eſt præter textum privati cujuſpiam, cui illius ſcribendi cura commiſſa eſt, quem textum Eccleſia cognoſcit, approbat, adoptat, præcipitque ut ad eum tanquam ad normam fideles ſuam fidem exigant. Canon verò, ut mox vidimus, nihil eſt prçter textum hæreticum, atque adeò non proprium Eccleſiæ, quem Eccleſia diligenter cognoſcit, quem improbat, quem repudiat, quem damnat, additâ ſcilicet negatione, addito anathemate, ne illo textu populorum fides corrumpatur. Igitur in ſymbolis pariter & canonibus, ſi verè loqui volumus, judicat Eccleſia de iis tantùm textibus, quos ipſa non contexuit.

6. Jam verò ſi homines è ſectâ illud obſtinatè pugnant, textum canone damnatum eſſe proprium Eccleſiæ textum, quia ſuum illa canonem condit ex ſuâ anathematis formulâ, & ex eo textu quem damnat anathemate, reponemus, id ſi valet, Janſeniani libri damnationem, quæ eſt proprius Eccleſiæ textus, coaleſcere pariter ex verbis iis quæ damnant, & eo textu qui damnatur. Hoc unum appellari poteſt diſcrimen inter Concilii Tridentini canonem eum, quo nos exemplo jam utimur, & quinque

constitutiones, quibus Jansenii textus damnatus est, quòd canone textus damnatus sit brevior, atque adeò, quod facilè fuit, totus & verbis totidem referatur, textus verò Jansenii cum sit longior, non potuerit ab Ecclesiâ totus suâ damnatione repræsentari. Sed nimirum quod prorsùs unum atque idem est, textus ille suo titulo designatur. Manifestum est, Jansenii textum, etiam ubi ad summam veritatem & ad rigidas Logicæ regulas rem exegeris, non esse minùs *subjectum*, ut ajunt, propositionis illius, quâ hunc Ecclesia quinque constitutionibus damnat, quàm textus brevior *subjectum* est propositionis ab Ecclesiâ profectæ in canone Concilii. Quod judicatur, id neque verum esse potest, neque intelligi, nisi quatenùs declaratur illud de certo quopiam & definito *subjecto* judicari. Textus igitur damnatus *subjectum* est, est id quod *subjicitur* propositioni Ecclesiæ; appellatio hæreseos est, ut scholæ vocant, *prædicatum*. Ecclesiæ propositio sive in longiore, sive in breviore textu damnando, non est perfecta, nisi quatenùs *subjectum* jungit & copulat cum *prædicato*. Igitur Ecclesia propositionem suam efformat ex eo textu quem damnat, & ex eâ appellatione

quam imponit. Et canone quidem ille textus, quo Protestantium error designatur, totidem verbis, quia brevis est, repræsentatur; constitutionibus verò textus Jansenii, quia longior est, designatur tantùm & tacitè significatur. Est ea quæ jam vulgò dicitur *remissio.* Hac prorsùs ratione, qui scriptor alterum scriptorem confutat, ejus loca si breviora sunt, integra reponit, si longiora, designat tantùm, & lectorem remittit ad ipsum sui adversarii librum. At illud certè manifestum est, utrobique pariter necesse esse, ut Ecclesiæ propositio coalescat & ex eo textu quem damnat, & ex eâ formulâ quam adjungit in illo damnando. Damnatio quælibet à damnato textu sejuncta, damnatio vera non foret, nihil haberet gravitatis, esset hærens, ac veluti suspensa, nihil certum ac definitum oppugnaret. Quo jam constituto, textus Jansenii longior non minùs pertinet ad quinque constitutiones quibus damnatur, quàm brevior ille textus, quo hæresis Protestantium significatur, pertinet ad Concilii Tridentini canonem. Itaque tam est certum ac manifestum, quàm quod maximè, & textum constitutionum, quas omnes Catholici summo consensu ratas habuêre, non minùs esse tex-

tum Ecclesiæ proprium, quàm canonem quartum sessionis sextæ Concilii Tridentini, & textum longiorem Jansenii non minùs pertinere ad constitutiones, quàm textus brevior ad canonem pertinet. Hoc ubi planum fecimus, ruit prorsùs illa commentitia inter proprios alienosque textus distinctio. Quinque constitutiones efficiunt quoddam judicium, quod est instar canonis alicujus, quasi Ecclesia Jansenii textui præfigeret has voces, *si quis dixerit*, atque has subjungeret, *anathema sit*. Ut illud anathema jure pronuncietur, non necesse est omnes illius textûs partes esse hæreticas. Satis est si textus ipse, seu systema totum ex illo nascens, hæreses quinque complectitur. Id vel ex regulâ in scholis pervulgatâ apertè conficitur, *bonum*, inquiunt, *ex integrâ causâ, malum ex quovis defectu*. Non debet res aliqua approbari, nisi suis omnibus partibus, nullâ exceptâ, bona sit; potest verò ut mala improbari, si vel unâ aliquâ ex parte deficiat. Id sequebatur quinta synodus, cum de Ibæ epi-
Collat 6. stolâ pronunciabat, *tota epistola hæretica est*; id & Martini primi synodus, cum Novatorum textus jubebat à singulis damnari *usque ad unum apicem*.

p. 736. 7. Non potest *silentii obsequiosi deffen-*

for hoc loco dicere. (*Nulla* quidem *facti controversia de canonibus*, sed esse aliqua potest de textûs Jansemani sensu.) Nam & textus brevior non minùs quàm longior, obscurus esse potest, ambiguus, controversus, obnoxius plurimis grammaticæ, logicæ & criticæ quæstionibus; imò fieri facilè potest ut textus longior sit etiam clarior quàm brevior textus; & textus longior æquè dogmaticus est ac brevior. Uterque scriptus est ad dogma significandum, neque verò dignus est ad quem attendatur, nisi quantùm ad controversiam juris pertinet. Uterque damnatur idcircò tantùm, ut dogma quod exhibet, non modò non admittatur quasi veritas revelata, sed etiam tanquam hæresis rejiciatur. Quare manifestum est, non pauciores de textu breviore quàm de longiore reperiri posse facti controversias, & longiorem textum non minùs quàm breviorem ad ipsum jus seu dogma pertinere. Atque hinc potest intelligi quanto se facinore illi obligaverint, qui ausi sunt dicere, textûs longioris hæreticitatem nihil aliud esse præter quæstionem quamdam criticę, & *factum momenti nullius*. Quantum sit in illo effato veneni facilè perspiciet, quisquis illud ad hæreticitatem textûs bre-

vioris qui canone damnatur, transferre voluerit. Id enim si valeret, ipsa anathematis canone denunciati veritas ac justitia nihil esset præter quæstionem quamdam criticæ, & *factum momenti nullius.*

8. Hoc verò potest inter utrumque textum discrimen animadverti. 1. Textum breviorem, si cætera statuantur esse paria, minùs oportet clarum esse quàm longiorem. Quippe longior, modò accuratè scriptus sit, debet totus aptè resolvi in propositionem unam & simplicem, quâ totum opus veluti contineatur. Huic propositioni quidquid adjunctum est, prorsùs redundat, nisi illi vel probandæ vel explicandæ inserviat, nisi vel ea quæ opponi possunt expediat, vel rem in controversiâ positam explanet. Quare, cæteris paribus, facilius debet esse de textu longiore quàm de breviore ferre judicium. 2. Textus longior multò est momenti majoris ad fidem quam brevior. Nam hic quidem nihil est præter propositionem quamdam solitariam, & veluti ramum avulsum à trunco. Ejusmodi propositio nihil habet, quo irrepat in animos hominum, quo eos conciliet, quo moveat, quo suas in partes lectorem pertrahat. Contrà verò textus longior ponit ea principia, quę

mentes hominum veri quâdam specie & quasi fulgore perstringant, quæ sensim alliciant, quæ à principiis ad conclusiones per itinera cœca deducant, ferè ut in tabellâ colores commissi & quasi gradatim diluti spectantur. Paulatim irrepit, delectat, persuadet, commovet, suis laqueis lectorem implicat. Unde consequitur, si paria sint omnia quoad hæreticitatem, longiorem Jansenii textum multò magis esse aptum ad seducendos animos, multò magis pestilentem ac perniciosum in causâ fidei, quàm sit textus ille brevior, qui canone damnatur. Itaque cadunt æquè in utrumque textum facti controversiæ de grammaticâ, de logicâ, de criticâ, sed nimirùm illæ quæ dicuntur facti controversiæ permagni sunt ad ipsum jus momenti, quia fidelium fides suam habet & firmitatem & regulam à propriâ & nativâ textuum horum significatione.

9. Quid igitur superest, nisi ut canonis forma cum constitutionum quinque formâ comparetur? His quidem non adhibetur vox *anathematis*, quæ canone adhibetur. Sed quis in re tam gravi verborum ludibrio potest esse locus? Estne hæc de verborum sono an de ipsâ re controversia? Illudne dicere homines è

sectâ sustinebunt, non esse hoc Ecclesiæ concessum, ut *anathematis* loco vocem aliam usurpare possit quæ prorsùs idem significet? Nonne iidem sic disputant, Ecclesiæ summam esse atque infinitam in suo sermone commutando potestatem? Estne verò minor symbolorum autoritas, quamvis *anathematis* denunciationem nullam complectantur adversùs eos qui ipsa pertinaciter nollent admittere? Nonne occurrunt passim alia de fide decreta, quibus illa *anathematis* vox non continetur? Et sanè quid est quod eâ voce significatur? Nimirum abscissio sive sejunctio à societate fidelium Christo conjuctorum. *Judicium anathematis*, verba sunt quintæ synodi, *nihil aliud est, nisi separatio à Deo.* Atqui manifestum est constitutionibus illud idem quantum ad rem spectat anathema contineri, si quidem illæ præcipiunt ut adhibitâ censurarum severitate juxta pœnas à jure adversùs hæreticos decretas abscindantur à mystico Christi corpore quicumque in eo forent obstinati, ut fateri nollent, *Jansenii libro doctrinam hæreticam contineri*; quibus verbis ipsam excommunicationem atque adeò verum anathema significari constat.

Col. 8.

10. Atque illud est prætereà notandum, Ecclesiam in damnando textu longiore plus operę posuisse, quàm ponere soleat in textibus brevioribus damnandis. Neque enim Ecclesia vulgò præscribit formulas, in quarum verba jurare adigat de breviorum textuum qui canonibus damnantur hæreticitate. Verùm eadęm jusjurandum postulat in certa formulæ verba de longioris Janseniani textûs hæreticitate. Quare textûs longioris damnatio haberę videtur aliquid expressius, quàm damnatio textûs brevioris.

Sunt igitur hæc duo textuum dogmaticorum genera prorsùs æqualia sive quoad materiam sive quoad formam. Atque indè factum est, ut *silentii obsequiosi deffensor* illud nobis insigne fateri & concedere coactus fuerit. *Libenter*, inquit, *hoc ipsi datur*, (Illust. Arch. Cameracensi) *idem propemodum de textu longiore dici posse quod de breviore dicitur.* p. 970.

11. Neque verò id tantùm conjecturæ cujusdam vel argumentationis loco haberi debet. Nam rem hanc totam quam nos firmis rationibus planam fecimus, celebris illa Pelagii II. Epistola prorsùs conficit. Mox quippe suo loco videbimus, hanc Pelagii II. ad Episcopos Istrię scribentis esse sententiam, si Concilium

Calchedonense Ibæ Epistolam approbasset, futurum fuisse ut illa approbatio decreto fidei quod eo sancto Concilio latum est, contradiceret, illudque destrueret, ita ut dum hinc fidei decretum, indè illa approbatio quasi judicia duo pugnantia atque inter se æqualia componerentur ex adverso, neutri quidquam autoritatis ponderisve remaneret. *Si enim sibimet ipsis diversa sunt, nullâ procul dubio autoritate subsistent.* Hoc loco Pelagius II. hæretici textûs approbationem opponit canonibus seu decretis fidei, atque indè conficit, si, quod omninò fieri non potest, Ecclesia sibi tam turpiter ipsa contradiceret, futurum ut & hæretici textûs approbatio canoni seu decreto fidei, & pariter canon seu decretum fidei illi textûs hæretici approbationi autoritatem omnem adimeret. Tum verò nulla Ecclesiæ quoad utrumque illum textum foret autoritas. Atque de eâ re summus ille Pontifex exclamat. *Absit hoc, absit ab illo venerando Concilio, ut sibimet contraria sapiat*, quæ verba sunt hominis contestantis quantùm horreat id, quod statuit nunquam omninò posse contingere. Cujus rei subjungit hanc rationem, quod scilicet Ecclesiam ex promissionum di-

vinarum fide regat ac moderetur *unus tantùm Spiritus*, quo certi efficimur eam ſemper in judicando ſibi conſentaneam fore.

III.

De fine, quem Eccleſia ſecuta eſt in Janſeniano textu damnando.

VErè quidem ac jure ſtatuunt homines è ſectâ Eccleſiam, cum textum aliquem breviorem canone damnat, idcircò tantùm damnare, ut ſenſum eo textu ſignificatum damnet, & ut normam quamdam fidei præſcribat illi textui contradicentem. Hoc eſt, cur illi decretum ejuſmodi fateantur ad dogma atque ad juris controverſiam pertinere. Atqui manifeſtum eſt prorsùs idem dici debere de longioris Janſeniani textûs damnatione. Utraque damnatio æquè ad textus pertinet.

Non poteſt Eccleſia quidquam damnare præter eos textus, quibus negatur veritas revelata. Si denunciaret eam damnationem, quâ nullus certus ac definitus textus notaretur, ea foret incerta, vaga, ac veluti ſuſpenſa. Verùm Ec-

clesia nunquam textum ullum seu longiorem seu breviorem, seu canone, seu alio roboris ejusdem decreto damnat, nisi ratione dogmatis ipsius quod eo textu continetur. Vult semper Ecclesia duo illa declarare, primum quidem sensum illius textûs proprium ac nativum esse hæresim; deindè sensum hujus textûs sensui contradicentem esse dogma fidei. Quare utraque illa damnatio roboris ac potestatis ejusdem, æquè utrinque comparata est ad declarandam & hæreseos pestem quæ vitari debet, & fidei regulam quam oportet sequi.

Exempli causâ, in eo quem jam appellavimus canone, Ecclesia suum anathema vibrat adversùs breviorem hunc textum (*liberum hominis arbitrium motum & excitatum à Deo .... non potest dissentire si velit.*) Ecclesia quidem meram atque inanem umbram feriret anathemate, si feriret tantùm sensum nescio quem solutum ab eo textu quo definitur; verùm idcircò dumtaxat ferit hunc textum anathemate, ut sensum feriat qui eo textu designatur. Id ni faceret, sonum cassum ac vacuum feriret. Facti controversia non deciditur, nisi propter juris controversiam. Et verò factum ipsum foret *momenti nullius*, nisi

suâ sponte referretur ad jus, ita ut eo textu damnando simul Ecclesia & antidotum præberet adversùs hæresim, & fidei puræ ac sinceræ normam præscriberet. Nihil ageret Ecclesia illo canone, nihil planè conficeret, nisi statueret esse hæresim, si quis dicat liberum arbitrium non posse dissentire gratiæ vel maximè efficaci, ipso temporis puncto quo ab eâ movetur, atque hanc dissentiendi potestatem esse de fide. Jam verò prorsùs idem censeri debèt de textûs longioris, quod de brevioris textûs damnatione. Non eum sanè damnat Ecclesia, ut syllabas tantùm & verba, & scriptas paginas frustrà damnet. Non statuit de facto in verbis posito ex grammaticę, logicę & criticæ regulis, nisi ratione juris, quod quale sit ex ejusmodi facto dijudicatur. Eo tantùm Consilio damnat textum longiorem, ut illud ipsum quod damnat systema, nominatim designet. Non explicat, *quis sit sensus*, nisi ut *qualis sit sensus*, certo decernat. Non foret Ecclesiâ dignum judicium illud, quod à juris causâ sejunctum solius grammaticę aut solius criticæ finibus contineretur. Hoc unum illa vult, hoc unum agit, ut textum eum quem damnat sive breviorem sive etiam longiorem proprio

ac nativo ſenſu acceptum , hæreticum eſſe credamus. Illius decretum tyrannicum foret, atque ipſa nos in vanum jurare cogeret, ſi jurejurando teſtatam exigeret fidem de quæſtione aliquâ ad grammaticam aut criticam pertinente, quæ nullius eſſet momenti ad ipſum jus, hoc eſt ad fidem Chriſtianam. Atque ut brevi complectar omnia, quemadmodum dici niſi abſurdè non poteſt, Eccleſiam ſuo canone decernere tantùm adversùs textum breviorem de eâ quæſtione quæ ad meram criticam pertineat, ita ferri non debent qui ajunt, non aliam quæſtionem quinque conſtitutionibus adverſùs longiorem Janſenii textum definiri.

Atque huc revocanda ſunt ea quæ de longioribus textibus diſputavimus. Illi ſi accuratè ſcripti ſunt, unum quidpiam habent quò tendant, ita ut ſi rectè eorum analyſis inſtituatur, ad unam ac ſimplicem propoſitionem recidant, neque ingenti volumine contineatur quidquam præter illa argumenta quibus ea propoſitio probatur, & reſponſiones ad illa omnia quibus eadem poſſet obſcurari. Hanc præſcriptionem adeò manifeſtam ſi ſequimur, facile erit totum Janſenii librum redigere ad hanc propoſitionem;
quâ

quâ unâ ejus ſyſtema continetur.

POST PECCATUM ADAMI NECESSE EST, UT VOLUNTAS HOMINIS PERPETUÒ SEQUATUR DELECTATIONEM EAM INDELIBERATAM, QUÆ SINGULIS TEMPORIS PUNCTIS REPERITUR ESSE IN EO VALIDIOR, QUIA NIMIRÙM EA DELECTATIO QUÆ HOC TEMPORIS PUNCTO REPERITUR VALIDIOR, SIVE AD BONUM SIVE AD MALUM, ILLUM ET PRÆVENIT INDECLINABILITER, ET INSUPERABILITER DETERMINAT AD HUNC IPSUM ACTUM SEU BONUM SEU MALUM, AD QUEM EA DELECTATIO SUPERIOR EST.

Hoc ipſum eſt Janſenii ſyſtema; hac unâ propoſitiône totum abſolvitur. Hanc unam propoſitionem ſi è libro exemeris, totum librum exemeris, omnia ejus fundamenta ſubverteris. Contrà ſi hanc propoſitionem unam intactam reliqueris, facilè demonſtrabitur omnia relinqui intacta, & quinque propoſitiones nihil eſſe præter ramos ab hac ſtirpe ita pullulantes, ut ab eâ ſejungi nullâ ratione poſſint. Hæc propoſitio fons eſt atque origo quinque hæreſum damnatarum, & totius ſyſtematis ſumma. De hâc homines è ſectâ dudum apud Apoſtolicam Sedem ita loquebantur. *Sancti Auguſtini .... doctrina*

Journal de S Amour pag 473.

potissima pars & quasi summa est gratia ex se efficax, cum quâ prædicta, nimirùm famosæ quinque, *propositiones inviolabili insolubilique nexu conjuncta sunt.* Quam homines è sectâ vocant *gratiam ex se efficacem*, ea est delectatio quam necesse est ut voluntas sequatur, quia ea est arbitrio libero & indeclinabilis & insuperabilis. Enimverò ab eâ propositione tanquam à radice pullulant quinque famosæ propositiones. Earum ipsa est *potissima pars & quasi summa.*

1. Delectationem ejusmodi si agnoveris, fatearis necesse est actum imperatum justo cuilibet qui eum non exercet, esse impossibilem, siquidem illo ipso temporis puncto delectatio ipsi deest ad hunc ipsum actum dominans, quam scilicet si haberet, eâ indeclinabiliter atque insuperabiliter determinaretur ad hunc actum exercendum.

2. Delectationem ejusmodi si agnoveris, fatearis necesse est in præsenti statu nunquam resisti gratiæ interiori, siquidem nullam aliam gratiam interiorem hic status habet, præter eam delectationem, cui *necesse* est ut non resistatur. Nunquam declinatur id quod est indeclinabile; nunquam superatur id quod est insuperabile,

3. Delectationem ejusmodi si agnoveris, fatearis necesse est ad merendum & demerendum non requiri immunitatem à necessitate antecedente, siquidem mereri homo & demereri potest etiam ubi necesse est ut sequatur motum ejus delectationis, quæ est causa quædam determinans, quam voluntas nec declinare potest nec superare.

4. Delectationem ejusmodi ad bonum si agnoveris, tanquam solam gratiam medicinalem Christi servatoris, fatearis oportet gratiam omnem quam non necesse est ut voluntas sequatur, quia ea neque indeclinabilis est neque insuperabilis, non esse gratiam medicinalem Christi, atque adeò nihil esse præter auxilium aliquod Pelagianum.

5. Denique delectationem ejusmodi si agnoveris tanquam solam gratiam servatoris, fatearis necesse est nullum hominem, nisi qui sit prædestinatus, atque in acceptâ justitiâ ad finem usque perseveret, accepisse per Christum gratiam ullam interiorem, hoc est delectationem, ullam dominantem ad perseverandum, quâ & perseverantia & salus fiant ipsi possibiles, si quidem prorsus *necesse* est, ut non perseveret, qui non habet ejusmodi delectationem ad perseverandum.

Itaque propoſitio illa de indeclinabili & inſuperabili delectatione, eſt fatentibus etiam hominibus è ſectâ univerſis, *potiſſima pars & quaſi ſumma* famoſarum quinque propoſitionum. Hæ cum illâ *inviolabili inſolubilique nexu conjuncta ſunt*. Hanc homines è ſectâ vocare amant *gratiam ex ſe efficacem*, & *cæleſtem S. Auguſtini doctrinam.* Aiebant præterea homines è ſectâ ad ſummum Pontificem. *Nullum aliud fuit adverſariorum noſtrorum conſilium in ambiguis illis propoſitionibus fabricandis, quam ut occultè & clanculùm ſubverterent doctrinam gratiæ ex ſe efficacis neceſſariæ ad ſingulos actus.... Et verò tam manifeſta eſt & tam neceſſaria connexio illius gratiæ cum his propoſitionibus eo ſenſu intellectis, ut quandiu illa manebit, has etiam manere neceſſe ſit, quemadmodum ruere illa non poteſt, ut non hæ eodem caſu labefactatæ concidant. Itaque neque nos propoſitionum harum ullam defendimus, niſi quatenùs neceſſariò connexa eſt cum gratiâ efficaci, neque adverſarii noſtri ullam oppugnant, niſi ut eamdem gratiam funditùs evertant.* Eſt igitur manifeſtum ipſâ confeſſione hominum è ſectâ, totum Janſenii ſyſtema contineri illâ propoſitione de eâ delectatione, quam neceſſe ſit

Ibid. pag. 479.

ut ſequamur in ſingulis actibus, quia illa noſtras voluntates & prævenit indeclinabiliter, & inſuperabiliter determinat. Hanc unam propoſitionem ſemper homines è ſectâ propugnavêre; hanc unam ſectæ adverſarii ſemper & accuſarunt & impugnarunt. Textus longior totus recidit ad textum hujus propoſitionis breviorem. Hoc unum eſt, de quo & partes adverſæ contendere & Eccleſia verè ac feriò decernere potuerit. Nihil illa prorsùs in Janſenii textu ipsâ re damnaviſſet, niſi damnaviſſet id quod totius libri *potiſſima pars & quaſi ſumma eſt*. Eccleſia anathema tum denunciavit, cum pœnis à jure ſtatutis in hæreticos affici voluit eum, qui propoſitionem ejuſmodi defenderet. Anathema pertinet ad textum longiorem, cujus ſcilicet textus brevior *potiſſima pars & quaſi ſumma eſt*. Idem planè eſt ac ſi Eccleſia hoc modo loqueretur, 'SIQUIS DIXERIT NECESSE ESSE, UT VOLUNTAS HOMINIS IN OMNI ACTU SEQUATUR DELECTATIONEM EAM INDELIBERATAM, QUÆ HOC TEMPORIS PUNCTO REPERITUR ESSE IN EO VALIDIOR, SIVE AD BONUM SIVE AD MALUM, QUIA NIMIRÙM EA DELECTATIO EUM ET PREVENIT INDECLINABILITER ET INSUPERABILITER DETER-

MINAT, ANATHEMA SIT.) Non immeritò sanè jactabant homines è sectâ, fore *ut quamdiu illa propositio manebit*, quinque *etiam* propositiones *manerent*, *quemadmodum ruere illa non potest*, *ut non hæ eodem casu labefactatæ concidant*. Non immeritò aiebant suos *adversarios*, dum Jansenii librum & quinque propositiones damnari flagitarent, id postulare ut hæc propositio de gratiâ quæ esset libero arbitrio indeclinabilis atque insuperabilis *funditùs everteretur*. Sed illud profectò ipsorum adversarii non *occultè & clanculùm* postulabant. Id unum ultrò, id apertè & palam flagitabatur, ut adjuncto anathemate proscriberetur hæc propositio de eâ delectatione quæ voluntati necessitatem suavem illam quidem, sed indeclinabilem eamdem atque insuperabilem afferret.

Jam verò finem faciamus in illâ de quâ tam multa diximus comparatione, canonis IV. sextæ sessionis Concilii Tridentini, cum illo canonis genere quo Jansenii textus damnatur. Concilii quidem canon, ut & illud canonis genus, quod quinque Constitutionibus summo Ecclesiæ consensu acceptis continetur, æquè in aliquo dumtaxat textu damnando versatur. At utroque illo judicio non

aliam ob causam textus damnantur, quàm ut damnentur dogmata, quæ iis textibus significantur. Id nisi esset, eæ damnationes vanæ atque illâ Ecclesiæ sapientiâ prorsùs indignæ forent; pertinerent tantùm ad damnandos litterarum sonos locutionesque sejunctas ab eo sensu, quem repræsentant. Id verò nunquam in virum gravem ac sapientem, nedum in Ecclesiam Spiritu sancto plenam cadere potest. Illud igitur teneamus, Ecclesiam nunquam commissuram esse, ut voces cassas & rerum inopes damnare satis habeat, non damnato in iis vocibus quæ per se nihil conficiunt, earum vocum sensu, qui est tota substantia. Ecclesia Concilii canone breviorem textum damnat idcircò tantùm, ut damnet dogma motionis illius, cui liberum arbitrium non possit dissentire. Pariter illo canonis genere, quo Jansenii liber damnatur, Ecclesia textum longiorem eo tantùm consilio damnat, ut damnet dogma delectatationis illius, quam necesse sit ut voluntas sequatur, quia nimirùm ea delectatio voluntatem & prævenit indeclinabiliter, & insuperabiliter determinat. Æquè utrobique Ecclesia factum illud, quod positum esse dicitur in textûs seu longioris seu brevio-

ris hæreticitate, non decernit, nisi ut juris controversiam dijudicet, seu certi cujusdam dogmatis hæreticitatem. Utrobique Ecclesia declarat eam propositionem, ad quam textus damnatus redit, proprio ac nativo sensu acceptam, esse hæreticam, propositionem verò huic textui contradicentem esse dogma fidei.

Atque illud quidem homines è sectâ verè deffendunt, judicium de facto, si ad solum factum & prorsùs à jure sejunctum pertineret, judicium fore de *facto momenti nullius*, quemadmodum quæstio jam est nullius momenti, num Templarii sontes essent necne. Tum verò Ecclesia, si jusjurandum exigeret de fide illius facti, quod nullius momenti foret ad juris controversiam, jusjurandum sanè vanum exigeret, ac sanctum & terribile Dei nomen per summum nefas manifestè violaret: Tum verò neque sancta esset in præceptis tradendis, neque immunis ab erroris periculo in iis, quæ ad *disciplinam*, *administrationem*, *& rectum ordinem* attinent, quod tamen ipsi largitur *obsequiosi silentii deffensor*. Maneat igitur Ecclesiam tam eo canonis genere, quo longior Jansenii textus damnatur, quam eo Concilii canone quo damnatur textus brevior, de facto non

decernere, nisi ut de jure decernat, neque damnare textum, nisi ut damnet ipsum dogma quod textus exhibet, nobisque certam fidei nostræ normam offerat. Igitur Janseniani textûs longioris damnatio ad eumdem finem dogmaticum est comparata, neque minùs ad juris controversiam pertinet, quàm canon ille, quo textus brevior damnatus est.

I V.

Refelluntur ea, quæ silentii obsequiosi dessensor habet de criticâ.

EX iis quæ modò diximus, planum est quàm immeritò ac nullo jure contendat, *obsequiosi silentii dessensor*, judicium illud, quod Ecclesia fert de privati alicujus scriptoris textu, *in merâ criticâ versari, prorsùsque sejunctum esse ab iis quibus fides & disciplina continetur.* p. 150. Addit hanc esse *disquisitionem positam in rigidissimis critica regulis ac præcisionibus, sejunctamque ab iis quæ ad fidem aut disciplinam pertinent.* p. 1058. Præterea sic ait. *Illust, Cameracensis, si voluisset in hâc quæstione pertractandâ non fru-* p. 151.

strà vagari ac deerrare, debuisset in id unum incumbere, ut probaret Ecclesiam falli non posse in indagando ex critica legibus autoris alicujus sensu, & cæteris omnibus supersedere; quoniam illud unum inter nos vocatur in controversiam. Denique hæc habet : *Hac igitur controversia tota pendet ex critica legibus, atque anathema sit, quisquis eam aliò traducere cogitaret.* Novum sanè ac mirum anathematis genus, quod Ecclesiæ anathematismis opponitur. Sed si exceptionem hanc generalem, quâ scriptoris hujus liber totus absolvitur, paulò diligentiùs cognoscere voluerimus, perspiciemus facilè, quàm parùm ea firma sit, quàm parùm ad id quod in controversiam venit accommodata.

p. 145.

1. Critica posita est in regulis quibusdam, de quibus inter eruditos convenit, ut ex iis dijudicentur ea scripta, quæ sunt instrumenta disciplinarum. Consuluntur primævi codices manu exarati, scriptoris sermo, qui videtur hujus vel illius sæculi fuisse proprius, appositæ temporum notæ. Excutiuntur mores iis scriptis repræsentati, & tota disputandi forma, cætera denique omnia, ex quibus aliqua duci conjectura potest. Hoc habet critica sibi propositum, ut di-

judicet an opus illud ſit ab illo vel potiùs ab hoc autore conſcriptum, num hujus vel illius ſæculi, num hæc locutio quæ in eo occurrit, referri poſſit ad illud tempus quo ſcriptum eſſe creditur. Ita criticæ munus eſt dijudicare, num quidam commentariorum liber Oppio adſcribi debeat an Cæſari; quâ ratione certus Plinii locus reſtitui. Critica eſt, quæ ſtatuit Joinvillæi textum, qualis vulgò in libris editis exibetur, non eſſe eum ſermonem, qui vigebat S. Ludovici ætate, ſed emendatum nonnihil & deflexum aliquantò ad eam quæ jam obtinet in Galliâ loquendi formam. Quare in eo critica habitat, ut de primævis codicibus manuſcriptis decernat, de librorum editionibus, de proprio temporis cujuſque ſermone, de vario ſcriptorum ſtylo. Diſciplina quædam eſt, quæ aliis ſubſerviat, ſitque velut inſtrumenti loco, qualis eſt ars legendi, qualis eſt grammatica. Hanc diſciplinæ ſuperiores adhibent ad ſuum ſingulæ finem. Hac Juriſconſultus utitur, ut ſtatuat quæ debeat eſſe libri cujuſdam autoritas in legibus interpretandis, hanc medicus ad Medicinam, Theologus ad Theologiam transfert. Atque indè facilè poteſt intelligi magnum eſſe diſcrimen oportere in-

ter illud judicium, in quo locum ali-quem habet critica, quia eam disciplina aliqua superior adhibet, ut artem legendi & grammaticam adhibet ad textum aliquem dijudicandum, & judicium quod ad meram criticam pertineat, quo sola critica in suo veluti fundo versetur. Id verò planiùs explicare noster ille adversarius veritus est, quia nimirùm illâ explicatione positâ continuò ruunt illa omnia quæ tanto molimine deffendit. Ubi Ecclesia pronunciat hunc textum esse hæreticum, potest sanè in eâ re judicandâ criticam adhibere. Sed non proptereà judicium ejusmodi ad meram criticam pertinet. Si enim pertineret ad meram criticam, Ecclesia diceret tantùm hunc textum esse hujus vel illius temporis, hujus vel illius scriptoris, hanc operis partem non esse ab eodem autore conscriptam, à quo scripta est pars illa, hunc locum hoc pacto debere restitui, hac locutione rem illam eo tempore significari solitam esse habitâ ratione morum & negotiorum illius ætatis. Sed nimirùm critica non id sibi tribuit, ut in earum disciplinarum quæ ipsi superiores sunt, veluti regno quidquam decernat. Non usurpat Theologiæ munus, ut de textûs cujuspiam hæreticitate statuat,

non juris prudentiæ, ut de legis alicujus justitiâ vel injustitiâ pronuntiet, non Geometriæ, ut aliquod problema inter Geometras dijudicet. Exempli causâ Scaliger aut Salmasius potuêre quidem, ut critici, de stylo, de sermone, de ætate textûs cujuspiam sententiam ferre. Verùm ipsorum non erat dogmaticè pronuntiare de orthodoxiâ seu heterodoxiâ ut neque de justitiâ legum aut injustitiâ, de veritate aut falsitate Geometricæ alicujus propositionis. Qui vult criticam esse, quæ statuat de hæreticitate textûs cujuspiam Theologici, is omnia miscet ac turbat, & disciplinam instrumentariam ac subalternam confundit cum eâ disciplinâ superiore quæ illam adhibet.

2. Dici quidem & verè potest, criticam judicare de textibus ad religionem spectantibus, non minùs quàm de textibus iis judicat, qui in jurisprudentiâ & medicinâ versantur. Ita criticæ erit statuere num libri de vocatione Gentium S. Leoni, num S. Prospero tribui debeant. Criticæ erit decernere, num libros de sacramentis ad S. Ambrosium, num librum de prædestinatione & gratiâ ad S. Augustinum referri oporteat; sed critica numquam judicat de textuum eorum

orthodoxiâ vel heterodoxiâ. Ejusmodi judicium totum agnoscit esse Theologiæ proprium, atque ipsi relinquit.

3. Ex his patet, quàm parùm aptè delegerit adversarius noster exemplum quod proponit ejus judicii, quod ad meram criticam pertineat,. dum affert librum Ratramni. Critica quidem inservire Theologiæ potest, eâ ratione quam explicuimus, in expendendis iis quæ spectant ad tempus illud quo Ratramnus scripsit, & ad controversias de Eucharistiâ, quæ tùm fervebant. Ea sanè critica potest inservire Theologiæ ad statuendum certiùs, quis fuerit veræ controversiæ à Ratramno positæ status, & qualem argumentationem scriptor ille pertractare satis habuerit. Sed nihil est alienius, nihil quod magis abhorreat, quàm si quis dicere audeat judicium quod Theologi ferunt de Ratramni libro, non esse theologicum sed ad meram criticam pertinere, quale Scaliger aut Salmasius ferrent de libro Oppii, vel de restituendo aliquo Plinii loco, vel de Joinvillæi sermone. Numquam illud debet animis excidere, in dijudicando Ratramni libro statui oportere, non an ille scriptus sit à quodam Monacho Corbeiensi, qui nono sæculo florebat regnante Carolo Calvo, sed an

illo textu præſentia realis, an realis abſentia tradatur, num liber ille figuram cum Chriſti corpore, num ſolam corporis Chriſti figuram in ſacrâ Euchariſtiâ ſupereſſe doceat. In ſummâ id unum agitur, an textus ille revelationi ſit conſentaneus, an verò eidem contradicat, an purus ſit atque orthodoxus, an verò ſit hæreticus atque inter cætera ſacramentariorum opera collocandus. In judicio ejuſmodi dogmatico ſanè & Theologico Theologi nonnihil ſumunt ab arte criticâ, ſed idcircò tantùm, ut Theologicè pronuncient.

4. Nullum unquam fuit Theologicum de ullo textu judicium, in quo minùs fuerit arti criticæ loci, quàm fuit in Janſeniano textu dijudicando. Textus ille noſtrâ ætate conſcriptus eſt. Nemo eſt qui autoris nomen, qui ejus ſtylum, qui vocum latinarum, quas adhibuit, uſum eo quo ſcripſit tempore receptum ignorare poſſit. Adeò nota, ac pervulgata ſunt hæc omnia, ut nullus omninò locus arti criticæ relinquatur.

5. Si Eccleſia de textu aliquo ferret judicium illud, quod ad meram criticam pertineret, ſatis haberet decernere eum eſſe hujus ætatis, hujus ſcriptoris, hujus ſtyli, hujus ſermonis &c. Judicium illud

totum in curiositate quâdam & eruditione versaretur, ad Theologiam, hoc est, ad ipsum jus nihil faceret. Tum verò judicaret Ecclesia de re litterariâ & ex meræ criticæ regulis judicaret.. Tum verò, quod homines è sectâ perpetuò memorant, judicium Ecclesiæ pertineret dumtaxat ad illud *factum*, quod *nullius* esset ad juris controversiam *momenti*. Tum verò decerneret Ecclesia de Janseniano textu ex regulis criticæ, quemadmodum si ex physicæ placitis judicaret de origine ventorum, de causis æstûs marini reciproci, de fontium ac fluviorum origine. Tum verò Ecclesia de Jansenii libro judicaret eâdem planè ratione, quâ de aliquo Diodori Siculi fragmento, vel de restituendo Pausaniæ loco, eâdem ratione, quâ de aliquo Geometriæ problemate disputaret. Tum sanè Ecclesia non judicaret quatenùs Ecclesia, sponsa illa unigeniti filii Dei, atque ab ipso constituta, ut doceret nos ea omnia quibus salus nostra procuretur. Judicaret dumtaxat, ut angelici Doctoris verbis utar, *in quantum est hominum congregatio*, cui *ex defectu humano* contingere potest ut erret, neque rectè judicet. Decerneret de eâ controversiâ, quę non pertineret ad autoritatem sui ministerii,

In 4. sent. dist. 41. art. 5.

ſterii, tanquam ſi de aliquo Juriſprudentiæ aut Medicinæ aut Geometriæ libro decerneret, aut viciſſim tanquam ſi Juriſconſulti, Medici aut Geometræ de aliquo Theologico textu decernerent. Licebitne, obſecro, illud dicere, Eccleſiam à ſuis omnibus Miniſtris exigere, ut jurent fidem *facti*, quod *nullius* ſit ad religionem *momenti*, de queſtione illâ quę in merâ criticâ verſetur? Nonne prorsùs idem eſt, ac ſi diceretur, Eccleſiam poſtulare ut jurejurando teſtemur ſermonem latinum T. Livii abeſſe à Terentii Ciceroniſque ſermone, quia redolet non nihil ſermonem Patavinum, quâ in urbe T. Livius natus eſt? Nonne tum Eccleſia poſtularet jurari in vanum, atque abuterêtur eâ autoritate, quæ non fuit ipſi credita, niſi ut de ſalutis doctrinâ pronunciaret? Nonne vim ac tyrannidem tum adhibere cenſeretur ad ſanctiſſimum Dei nomen impiè violandum?

6. Quid eſt tandem, quod adverſatius noſter excipere poſſit adversùs comparationem à nobis allatam textûs brevioris qui canone damnatur, & textûs longioris Janſeniani, qui damnatur quinque Conſtitutionibus quæ vim habent eamdem atque aliquis Concili canon?

Illudne verò audebit dicere, textum quidem breviorem esse Theologicum, textum logiorem non esse? Vel, judicium quidem de textu breviore esse Theologicum de juris controversiâ, & errori non obnoxium, judicium verò de longiore textu pertinere ad meram criticam de facto *momenti nullius*, latum eâ autoritate quæ obnoxia sit errori, quasi de Hesiodi quopiam vel Homeri loco latum fuisset? Nonne intelligit textus hos, sive longiores illi sint, sive breviores, esse æquè Theologicos, æquè hæreticos appellatos ab eâdem autoritate, atque ad eamdem depositi fidei servandi necessitatem?

7. Quid verò dicet de canone, quo textus brevior damnatur? Dicet nimirum in breviorem hunc textum cadere etiam posse varias criticæ quæstiones, sed Ecclesiam adhibitâ oportunè & prout exigit necessitas, artis criticæ peritiâ,
p. 110. ferre canone judicium de illo textu Theologicum: addet *Deum .... naturalem* Ecclesiæ *prudentiam ita dirigere ac tem-*
p. 1166. *perare* &c... *Sic temperare eam quam dat Ecclesiæ cognitionem ac scientiam .... atque ita rerum futurarum seriem aptè disponere, ut ex generalibus Ecclesiæ decretis nihil unquam oriatur, quo lædi fides aut*

mores violari possint. Deffendet *præcipuum* p. 160. *istud auxilium, quod promissum est .... adjunctum ad naturalem* Pastorum in Concilio congregatorum *prudentiam, satis esse, ut planè, prorsus atque omninò certi efficiamur* &c. Denique profitebitur Ecclesiam, si tunc necesse habet adhibere artem legendi, grammaticam, criticam, aliquam aliam artem seu naturalem seu acquisitam ad judicium suum Theologicum efformandum, id effecturam eâ *attentione, quam Spiritus sanctus in ipsâ* p. 170. *conservat.* Atquì nos hoc loco verbis totidem possumus de longiore Jansenii textu dicere quæcumque ille dicit de breviore textu qui canone damnatur. Itaque unum sectæ præsidium, unum illud adversarii nostri effugium statim evanescit, ubi paulò diligentiùs excutiuntur ea quæ ipse tam confidenter pronunciat.

Clausula hujus secundę Partis.

HOc igitur manet, si comparetur longioris Jansèniani textûs damnatio cum eâ brevioris textûs damnatione quę canone continetur, eamdem reperiri, universæ Ecclesiæ judicantis autoritatem, atque idem textuum eorum qui dijudi-

cantur, genus; neque longiorem mi-nùs esse dogmaticum aut minoris ad juris controversiam momenti, quàm breviorem, neque eas quæ memorantur, facti controversias de grammaticæ, logicæ & criticę regulis, cadere minùs in textum breviorem quàm in longiorem; denique eo consilio utrumque æquè ab Ecclesia damnari, ut declaret hæreticum esse illud dogma, quod utroque exhibetur, dogma verò contradicens esse dogma fidei, hoc est, eo consilio ut fidem nostram dirigat.

Cum semel planum fecimus, longioris textûs damnationem esse quoddam canonis genus, *obsequiosi silentii deffensor* effugere & quasi pedem referre jam non potest. Necesse est, ut de eo judicio dicat id quod ab hominibus è sectâ ja-

p. 736. ctatum est de canonibus. *Nulla facti controversia* de *generalibus* illis *decretis*, quæ sunt quoddam genus canonis, & eamdem planè vim atque autoritatem obtinent. Quid ita vero? Nimirum quia

Not. in nostr Docum. p. 640. cum Ecclesia *in condendo fidei canone versatur*, aut in alio quodam decreto, quod vim atque autoritatem omnem canonis obtineat *Deus* eam *naturalia media finit adhibere, finit uti sensibus, ingenio, dotibus animi, doctrina rerumque cæterarum subsidiis*

ad cognoscenda omnia diligenter, atque ad omnem tum grammaticę tum logicæ, & criticæ errorem fugiendum. *Verùm ubi decernendi tempus advenit*, *Deus ita digerit omnia*, *ut illa nihil inserat canoni*, *quod non sit revelatæ veritati consentaneum*, *nihil anathematismo complectatur*, *quod non reprobari debeat & Ecclesiastico fulmine percelli*. Cum Ecclesia vel canonem condit, qualis est Concilii Tridentini canon adversùs textum breviorem, vel canonis quoddam genus, quale est illud quo longior Jansenii textus damnatur, *promissio illa ..... quâ Christus Ecclesiæ spopondit præcipuum quoddam Spiritûs sancti præsidium*, *pertinet etiam ad voces ....* illa de textibus *facta sunt veræ juris controversiæ.... Deus admirabili quâdam providentiâ naturalem* Ecclesiæ *prudentiam ita dirigit ac temperat*, *.... sic temperat eam quam dat Ecclesiæ cognitionem ac scientiam .... atque ita rerum futurarum seriem aptè disponit*, *ut ex* GENERALIBUS ECCLESIÆ DECRETIS *nihil unquam oriatur*, *quo lædi fides aut mores violari possint*. Intelligitis illum ipsum *obsequiosi silentii deffensorem*, cujus ex libro desumpta sunt pleraque ex iis quæ modò retulimus, promissam hanc infallibilitatem non definire solis Concilii canonibus, sed

Arnald. in Mandat. anni 1656. Refut P. Annat p. 5. Defens. silent obseq. p. 110. p. 1166.

etiam ad omnia *generalia Ecclesiæ decreta* transferre. Ipse ultrò id agnoscit ac fatetur, *non tantùm agi de textibus Ecclesiæ propriis, verbi gratia, de ejus symbolis ac canonibus in quibus contexendis errare non potest circa significatum verborum*, sed etiam amovendam esse omnem facti controversiam ab aliis *generalibus decretis*, quorum eadem est quæ canonum autoritas, eadem materia, forma eadem, idem finis; *præcipuum*, inquit, *istud auxilium quod promissum est .... adjunctum ad naturalem Ecclesiæ prudentiam satis est, ut planè, prorsùs, atque omninò certi efficiamur fore ut doctrina pura atque incorrupta transmittatur* sive canonibus adversùs textus breviores, sive aliis *generalibus decretis*, quæ sunt roboris ejusdem, adversùs longiores textus, qualis est textus Jansenii. Atque ut brevi concludamus, solis nominibus commutatis, de infallibilitate in *generalibus decretis* quibus privatorum scriptorum textus damnantur, ea prorsùs omnia dicenda sunt, quæ ille dixit de infallibilitate in symbolis & canonibus.

p. 148.

p. 160.

Jam facilè quivis intelligit, cur tantopere homines è secta sibi cavendum esse duxerint, ne hæc controversia de textibus omnibus dogmaticis quàm latè suâ

ſponte patet, tota cognoſceretur. Ubi enim ipſa quęſtio veluti illo in lumine collocatur, referturque generatim ad textus omnes ejuſmodi, nemo non videt nihil eſſe in ipsâ fide certum ac firmum, niſi ponatur Eccleſia immunis ab erroris periculo in perſcribendis textibus ſuorum ſymbolorum, canonum, aliorumque generalium decretorum, quibus fides noſtra dirigi & inſtitui debet ; nemo non videt anteſignanos è ſectâ facere non potuiſſe, ut non totum illud verum eſſe faterentur, quia ſcilicet id revocare non poterant in dubium, quin & ipſa fidei fundamenta labefactarent, & omnium verè Catolicorum invidiam atque odium excitarent. Deniquè nemo non videt *generalia decreta*, quibus textus damnantur, eamdem cum canonibus autoritatem habere, ſiquidem & ipſi canones nihil aliud complectuntur præter damnationes textuum peſtilentium ad fidem noſtram dirigendam inſtitutas. Quare ex eo quod *ſilentii obſequioſi deffenſor* nobis largitur, manifeſtè conficitur id ipſum quod negat. Aliis etiam omiſſis ſuâ eum confeſſione ſatis refellere poſſumus. Nobis licet illum iiſdem verbis compellare quibus Julianum S. Auguſtinus compellabat. *Quod retinende clamas, hoc verum eſt, & contra vos eſt.* Op. imp. l. 11. n. 193.

PARS TERTIA.

Quâ demonstratur ex confessione scriptorum è sectâ, & maximè illius qui Silentium obsequiosum deffendere *aggressus est, consequi Ecclesiam esse inmunem ab erroris periculo in dijudicandis scriptorum privatorum textibus, qualis est textus Jansenii.*

I.

Quid fateantur Arnaldus & Vallonius.

Refu. P. Annat p. 5.

F*Acta ejusmodi*, aiebat Arnaldus, *quæ spectant ad traditionem, nullo pacto conjuncta sunt cum illo pronunciato Theologorum, qui volunt Ecclesiam non esse in factis dijudicandis immunem ab erroris periculo ...... sunt facta quædam, ex quibus necessariò elicitur alicujus doctrinæ veritas, atque hæc sunt, quibus Ecclesiæ traditio continetur. Verbi gratiâ ex eo quod sancti Patres summo consensu docuerint aliquid tan-*

quam pertinens ad fidem, consequitur illud ad fidem pertinere, pariterque ex eo quod aliqua doctrina pertineat ad fidem, sequitur eam ad nos ope traditionis pervenisse, & communi Patrum consensione fuisse traditam ... quarè facta ejusmodi ... nullo pacto conjuncta sunt cum illo pronunciato Theologorum qui volunt Ecclesiam non esse in factis dijudicandis immunem ab erroris periculo.

Vallonius hoc idem tenuit, ut verum Arnaldi discipulum possis agnoscere. Per litteras arcanas monebat amicum, aliquid esse emendandum in *Libello supplice*, cujus autor dicere ausus fuerat, *posse Ecclesiam errare, cum decernit quis sit sanctorum Patrum sensus, Ambrosii, Augustini, Hieronymi* &c. Istud, inquit, *posset in malam partem accipi, quia videtur ex eo consequens, traditionem qua nititur conspirante sanctorum Patrum sensu, fore regulam incertam & obnoxiam errori.*

Atque hoc loco videtis non tantùm agi de symbolorum canonumque textibus, quippe agitur etiam de textibus sanctorum Ambrosii, Augustini, Hieronymi &c. Agitur de *decernendo quis sit* textuum illorum omnium à *sanctis Patribus* conscriptorum *sensus*, atque adeò agitur de eâ quam vocant facti controversiam, *quis sit sensus*. De textibus qui-

dem iis omnibus, *quibus Ecclesiæ traditio continetur*, Arnaldus sic profitetur, *facta ejusmodi nullo pacto conjuncta esse cum illo pronuntiato Theologorum, qui volunt Ecclesiam non esse in factis dijudicandis immunem ab erroris periculo.* Quod quidem argumentum eò est firmius adver-
§. 1107. sùs *silentii obsequiosi defensorem*, quod ipse conceptis verbis fatetur *traditionem non simul ac summatim, sed singulatim recognosci.* Hoc fuit minirùm, cur Vallonius non solùm diceret *non posse Ecclesiam errare, cum decernit quis sit sanctorum Patrum* simul conjunctorum *sensus*, sed adderet præterea singulatim, *Ambrosii, Augustini, Hieronymi &c.* Et vero non potest Ecclesia traditionem reperire nisi in *communi Patrum consensione*, ut loquitur Arnaldus. Atqui manifestum est non posse *communem* eorum *consensionem* certò cognosci, nisi conferendis eorum textibus ut ex eâ collatione pateat, quàm rectè alii aliis consentiant, atque in eamdem fidem conspirent. Quare videmus Concilia omnia, quorum quidem ad nos monumenta pervenerint, nihil aliud agere, nisi ut comparando judicent. Hinc enim textus Patrum superiorumque Conciliorum leguntur, indè textus illi de quibus fer-

ri judicium debet. Tum judices pronunciant in hæc verba, *consonant*, *dissonant*. Hæc fuit antiquorum omnium Conciliorum tum in cognoscendo, tum in judicando ratio & forma, quæ vel ad singulas pagellas occurrit. Neque tamen necesse habet Ecclesia continuò & ad singulos dies præcipua sæculorum septemdecim monumenta, quasi totidem traditionis testes conferre inter se & conferendo judicare. Satis ipsi est, unumquemque testem fuisse suo loco exceptum, atque horum omnium generalem quamdam notitiam superesse, quâ fiat ut nunquam elabatur ex Ecclesiæ mente quod semel de iis judicavit. Accedit, quod promissio divina certos nos facit, fore ut spiritus ille promissus suppleat atque adjungat de suo id quod homines imperfecti ac parùm attenti non præstant in illâ disquisitione & comparatione, quę & tam latè patet, & tantùm habet difficultatis, cum tamen eo quasi fundamento cętera omnia niti necesse sit. Tolle spiritûs de suo supplentis promissionem, difficultas ista enodari non potest, neque unquam manifestum erit disquisitionem illam singulatim à maximâ Episcoporum parte factam esse. Id verò non modò non convellit id quod nos defendimus, sed etiam a-

pertè conficit Ecclesiæ omninò necessariam esse promissam quamdam infallibilitatem, ne sibi unquam ullâ in re contradicat. Ubi tot falsæ traditionis textus repudiandi sunt, tot veræ traditionis textus admittendi, valdè esset timendum, ne Ecclesia sæpiùs oneri tanto succumberet, nisi spiritus ille promissus delectum hunc & discrimen in ipsâ & pro ipsâ susciperet.

Eo constituto restat id unum, ut sic disputemus. Ecclesia fatentibus Arnaldo & Vallonio immunis est à periculo erroris in dijudicando sensu *Sanctorum Patrum, Ambrosii, Augustini, Hieronymi &c.* Atqui Patrum illorum textus non sunt textus symbolorum aut canonum ab Ecclesiâ conscripti, sed privatorum scriptorum qui quidem summâ observatione & reverentiâ digni sunt. Ergo Ecclesia fatentibus Arnaldo & Vallonio immunis est ab erroris periculo non modò in textibus symbolorum & canonum, sed etiam in privatorum scriptorum textibus dijudicandis.

Eo tantùm confugere potest *obsequiosi silentii deffensor*, ut dicat textus *Sanctorum Ambrosii, Augustini, Hieronymi* &c. necessarios esse ad traditionem, neque idem de textu Jansenii dici posse.

Sed illud nos jam confutavimus; cum oſtendimus, Eccleſiæ textum quo Janſenii textus refellitur & damnatur, non minùs eſſe neceſſarium ad ſæculi decimi ſeptimi & duodevigeſimi traditionem, quàm S. Auguſtini textus, quo Pelagius & Julianus refelluntur, neceſſarius eſt ad traditionem quinti ſæculi: Atqui Janſeniani textûs damnatio, ut jam oſtendimus, ſine ipſo Janſeniano textu conſiſtere non poteſt. Igitur Janſenii textus, ut ab Eccleſiâ repudiatus ac damnatus, magis etiam pertinet, magis eſt neceſſarius ad traditionem ſæculi decimi ſeptimi & duodevigeſimi, quam S. Auguſtini textus ut approbatus ab Eccleſiâ, neceſſarius eſt ad quinti ſæculi traditionem. Sanè quinque Sedis Apoſtolicæ conſtitutiones ab Eccleſiis omnibus ſummo conſenſu acceptæ, & quæ Janſenii textum neceſſariò continere intelliguntur, monumentum quoddam ſunt traditionis, etiam magis illuſtre, quàm S. Auguſtini textus, qui privati denique ſcriptoris textus eſt, quamvis ſcriptor ille inter maximos & ſummâ admiratione dignos Eccleſiæ Doctores ſuo merito numeretur. Sanè quinque illi textus, quorum pars quædam præcipua cenſetur eſſe textus Janſenii, *facta ſunt*, *ex quibus* longè

etiam magis *necessario elicitur alicujus doctrinæ veritas*, quam facta quæ spectant ad S. Augustini textum. Facta illa quæ in his quinque Constitutionum textibus posita sunt, sunt ipsa decretoria ratio credendi juris. Iis sæculi decimi septimi & duodevigesimi *traditio continetur*. Ex eo quod Ecclesia textum Jansenii quinquies hæreseos damnaverit, consequitur systema illud delectationis indeclinabilis atque insuperabilis, quam Jansenii textus vult necesse prorsùs esse ut voluntas nostra sequatur, traditioni repugnare. Quare factum hoc, quo *traditio continetur*, ex iis quę ab Arnaldo posita sunt *nullo pacto conjunctum est cum illo pronuntiato Theologorum, qui volunt Ecclesiam non esse in factis dijudicandis immunem ab erroris periculo*. Potereà Ecclesia non potest absque erroris periculo secernere textus eos, quibus vera traditio continetur, nisi quatenùs eos sejungit ac separat ab iis textibus quæ sunt traditionis falsę monumenta. Si immunis est ab erroris periculo in habendo ejusmodi delectu, necesse est ut dum probat & statuit *consonare* sanctos Patres *Ambrosium*, *Augustinum*, *Hieronymum*, repudiet etiam & statuat *dissonare* textus hæreticos, qui Patrum horum scriptis adversantur. Ne-

ceſſe eſt, ut dum quinque Conſtitutiones admittit, repudiet Janſenii textum quinque Conſtitutionibus adverſantem. Denique fieri non poteſt, ut Eccleſia minùs ſit immunis ab erroris periculo adversùs corpus traditionis falſæ erga textus hæreticos, quàm erga Sanctorum Patrum textus pro veræ traditionis corpore. Neque minùs ipſius intereſt, neque minùs ipſa poteſt traditionem repudiare falſam, quàm veram ſervare. Undè profecta eſt illa vox Eccleſiarum Africanarum, antiquam Sedis Apoſtolicæ vigilantiam eſſe, & *vetuſtam ſollicitudinem tam mala damnare, quam probare laudanda.* Atque id quidem mirum eſt non fuiſſe ab Arnaldo perſpectum tam acri & ſagaci viro, in tam diuturnâ & tanti momenti controverſiâ, cum id proximè & neceſſariò conſequatur ex iis quæ ipſe poſuit. Oportet ſanè mentem adeò perſpicacem fuiſſe vehementer occupatam falſo præjudicio, quòd nullum tam manifeſtæ veritati aditum reliquerit.

Conc. tom. 6 Conc. later. Mart 1. p. 128.

Deffenſor verò *ſilentii obſequioſi* duo nobis largitur, quibus conceſſis nihil jam habet, de quo poſſit nobiſcum verè ac ſeriò contendere. Nam affirmat primùm, damnationem textûs *quinque propoſitio-* *p. 115.*

num, judicium esse dogmaticum, in quò de fide est, promissionum vi errare eam
p. 770. *non posse.* Addit *esse certissimum, quinque propositionum hæreticitatem esse objectum fidei divinæ maximè propriè dictæ.* Hæc est sanè *hæreticitas* textûs *quinque propositionum*, nisi velit ille ad fucum nobis faciendum verba quibus utitur à nativo ipsorum usu miserè detorquere. Nam quinque propositiones tam sunt verus quidam textus, quàm Jansenii li-
p. 970. ber. Deindè verò sic loquitur. *Libenter hoc ipsi datur*, (Illust. Archiep. Cameracensi) *idem propemodum de textu longiore dici posse quod de breviore dicitur.* Nihil est, cur adjungat illud, *propemodum.* Qui velit accuratè & bonâ fide loqui, necesse est ut *de longiore textu*
p. 195. dicat ea planè omnia quæ de *textu breviore* confitetur. Præterea sic ait: *Ego verò facio libenter ut prorsùs assentiar iis quæ hoc loco* (Docum. 3. part. 1. cap. 3.) *disputat de Ecclesiæ autoritate circa locu-*
p. 196. *tiones .... quod hic ait de vocibus, potest etiam de textibus & libris affirmari.* Quare nisi velit scriptor ille confessionem tam gravem vocibus miserè detorquendis eludere, debet ipse agnoscere Ecclesiam nunquam esse erraturam in dijudicandis non modò *vocibus* & *brevioribus*

ribus textibus, ſed etiam *libris* ſeu *textibus longioribus*, de quibus ideò decernit ut fidem noſtram dirigat. Ipſo fatente, *de fide eſt Eccleſiam errare non poſſe* in dijudicando textu quinque propoſitionum quæ Janſenii libro tribuuntur, atque id *promiſſionum vi* certò cognoſcimus. Ergo ſcriptor ille, ſi ſibi conſtare vult, fateatur oportet, *de fide eſſe*, & quidem *promiſsionum vi*, *Eccleſiam errare non poſſe* in longiore textu dijudicando. Textus brevior non magis eſt textus Eccleſiæ proprius, quàm longior. Textus brevior nullo Concilii canone, ſed tantùm quinque Conſtitutionibus continetur. Jam illis Conſtitutionibus textus uterque & æquè damnatur, & æquè continetur. Debet igitur ex iis quæ ille ſcriptor agnoſcit, *promiſſionum vis* æquè ad textum utrumque pertinere.

I I.

Gravis quædam & decretoria confeſſio unius ex præcipuis ſectæ ducibus.

PRæterquam quod Arnaldo Arnaldum ipſum opponimus, poſſumus etiam ad extremum hoc perfugium ſectæ præ-

cludendum opponere præcipuum quemdam ejusdem sectæ scriptorem, cujus confessione argumentatio nostra tota mirificè confirmatur.

Anno 1696. contigit, ut Doctor quidam Duacenus, idemque Theologiæ professor Thesi Theologicæ præesset, quæ propositiones ejusmodi complectebatur, *non est revelatum quis sit sensus Scripturæ sacræ, quis sensus traditionis, quis sensus symbolorum fidei, quis sensus canonum Conciliorum ad fidem aut mores pertinentium.*

Tum verò Illust. Episcopus Atrebatensis sibi faciendum esse duxit, ut totius Ecclesiæ nomine adversùs doctrinam hanc insurgeret. Quare 30. die Decembris anni 1697. Mandatum edidit, cui hæc præsertim verba inerant. *Revelatum est quis sit sensus traditionis, quis sensus symbolorum fidei, quis sensus canonum ad fidem aut mores pertinentium.* Deinde sic Illustrissimo Præsuli visum est, prorsùs necesse esse ad fidei securitatem, ut Professor ille scripto contestaretur, *se verè atque ex animo damnare* propositiones illius Theseos, *in se ipsis prout jacent, atque in ipsarum proprio & obvio sensu.* Eodem illo scripto Professor addebat: *quantum in me erit, non*

patiar, ut quisquam ejusmodi propositiones sive in nostro Seminario sive alibi tueatur aut deffendat. Hâc autem re ductus est Illustrissimus Præsul, ut ejurationem adeò manifestam ac testatam exigeret. *Non possemus*, inquit, *eâ de re mentem nostram non aperire, quin simul ipso silentio videremur approbare doctrinam eam, quam nos quidem erroris plenam esse credimus.* Deindè subjungit: Illæ propositiones *ad ipsa fidei nostræ fundamenta convellenda pertinent.* Hoc etiam profiteri non dubitat, fore ut qui propositiones eas sensu proprio acceptas deffenderet, *religionem ipsam oppugnaret, ac destrueret revelationem dogmatum quibus fides nititur.* Unus è sectæ ducibus, quem Patrem Quesnellium esse viri fide digni affirmant, hoc Illustrissimi Episcopi Atrebatensis Mandatum ferre non potuit. Illud quasi hæreticum palàm incusavit, totius Cleri Gallicani fidem ac judicium postulavit, atque illam suam accusationem Illust. Archiepiscopo Rhemensi nuncupavit, cum hoc elogio, ANTIQUA JESUITARUM HÆRESIS INSTAURATA MANDATO QUODAM, QUOD NOMINE ILLUST. EPISCOPI ATREBATENSIS EDITUM EST 30. DECEMBRIS ANNI 1697. ET QUOD AD OMNIUM EPISCOPORUM GALLIÆ

JUDICIUM DEFERTUR. Porrò delator ille sic arguit.

Exponit primùm eas propositiones, quas propositionibus theseos contradicentes suo Mandato Illust. Atrebatensis statuerat. (*Revelatum est quis sit sensus traditionis , ... symbolorum ..... canonum &c.*) tum addit : *atqui , Illustrissimi Præsules , si manet illud decretum , non modò thesis illa Jesuitarum* , POTEST JANSENII FACTUM DIVINA FIDE CREDI , *nullam hæresim habet , sed ne licet quidem illi contradicere.* Quo pacto illud confirmet , audiamus.

Enim verò , inquit , *fingite vobis Illustrissimum Atrebatensem illud suscipere , ut Jesuitas theseos suæ falsitatem cogat agnoscere , quâ tandem ratione id aggredietur ? Aut quid ipsis opponet ? Nempe facere rem absurdam , qui objectum fidei divinæ velit esse factum quodpiam non revelatum , quale est factum Jansenii ? Atqui , reponent illi , hoc ipsum venit in controversiam , num illud factum possit in rerum revelatarum numero poni. Quî probas verò poni non posse ? Non potest inquiet Illust. Præsul. Nam Jansenium scripsisse , atque adeò hunc vel illum esse Jansenii sensum , factum quoddam est sæculi decimi septimi. Quî potest ergò fieri ,*

ut factum illud sit revelatum, quoniam neque illud scripturâ continetur aut traditione, quibus revelatio omnis absolvitur, neque illæ minùs quoad singulas partes veræ forent, etiamsi nunquam aut Jansenius aut Jansenii liber extitissent.

Intelligitis delatorem omnia colligere, quibus sectæ causa probari possit, & ad aliquam veri speciem accommodari. Deinde sic instituit demonstrare thesi Jesuitarum & Illust. Atrebatensis censurâ hæresim eamdem tradi. *Atqui reponent Jesuitæ, symboli Nicæni hunc vel illum sensum esse. factum quoddam est sæculi quarti; factum quoddam est ejusdem sæculi, vel potiùs sexti, hunc esse symboli Athanasiani sensum; factum quoddam est sæculi decimi quinti, hunc esse sensum Concilii Constantiensis; sæculi decimi sexti factum quoddam est, hunc esse Concilii Tridentini sensum. Inter hæc facta nullum est, quod scripturâ vel traditione potiùs contineatur, quàm factum Jansenii. Ambæ,* scriptura nimirùm & traditio, *non minùs quoad singulas suas partes veræ forent, etiamsi symbolum Nicænum, vel symbolum Athanasianum, vel Concilium Constantiense vel Tridentinum nunquam extitissent.* Exigis tamen, ut subscriptione interpositâ affirmetur, totidem hæc esse facta reve-

lata, *sciri revelatione, quis sit sensus symbolorum, quis sensus canonum ad fidem & mores pertinentium.* Quid est igitur, *quod Jansenii factum inter ea quæ sunt Ecclesiæ revelata, numerari non pateris? Si hoc unum obstat, quod sit sæculi decimi septimi, nonne par est ratio factorum istorum, quarti sæculi, sexti, decimi quinti, decimi sexti? Quæ nihilominùs Dici de istis verè non possunt, quo tandem pacto de hoc dicentur? Existimate, Præsules Illustrissimi, quid respondere posset Illust. Atrebatensis.*

Abutebatur sanè scriptor ille, quod solemne est hominibus è secta, ambiguis fidei divinæ & veritatis revelatæ vocibus, ut Illust. Atrebatensem temerè lacesseret. Nos quidem istud ambiguum sæpè distinximus. Hoc tantùm Præsul doctus ac pius voluerat, illa quæ dicuntur facta de textibus, quibus fides nostra dirigi debet, quamquam ea revelatione posteriora sunt, tamen ipsâ revelatione niti ac fundari, ita ut promissionum divinarum fide certi simus Ecclesiam fore immunem ab erroris periculo in factis ejusmodi decernendis, quocumque tandem futuro sæculo contingant. Idipsum Arnaldus non minùs apertè dixerat, cum affirmavit *ea facta*, quæ *necessaria* sunt

ad traditionem distinguendam, *esse veras juris controversias*, neque *dici planè & omninò posse ejusmodi facta non esse revelata*. Jam verò manifestum est textum eum, qui Jansenii librum & ejusdem libri damnationem ab Ecclesiâ denunciatam complectitur, textum quemdam esse canoni prorsùs æqualem, sive spectetur suprema autoritas quæ pronuntiat, sive finis & scopus eorum instrumentorum in eo positus, ut pestis compescatur, & fides nostra dirigatur. Igitur factum illud quod eo textu dicitur contineri, simile est facti in canone positi, in quo dijudicando conceditur, Ecclesiam divinarum promissionum fide immunem esse ab erroris periculo. Neque minus est fidei periculum a longiore textu quàm à breviore, neque minor Ecclesiæ in illo quàm in hoc damnando potestas, cum uterque sit æquè dogmaticus, longior sit etiam pestilentior. Quare Jansenii textus sæculo decimo septimo damnatus, non minùs dijudicatus est eâ autoritate, quæ revelatione nititur, quàm textus aliquis damnatus Concilii Constantiensis aut Tridentini canone. Ubi semel aptè distinctum est illud ambiguum fidei divinę & facti revelati, confitendum est, delatorem,

quantùm ad cætera omnia pertinet, ea ponere in argumentando, quæ & sibi planè consentanea sint, & nullâ ratione refelli queant. Neque verò potest Illust. Atrebatensis pro suâ tum veritate, tum prudentiâ revocare unquam in dubium comparationem hanc adeò manifestam. Quod autem delator voluit ex eâ comparatione consequi, est ejusmodi, ut nonnisi ad Summum Illust. Atrebatensis decus per universam Ecclesiam vergere possit, si ipsi tamquam autori tribuatur. Indè nimirum intelligitur quàm persuasum Illust. Præsuli fuerit, Ecclesiam esse immunem ab erroris periculo in dijudicandis iis factis, quæ posita dicuntur in textibus canonum similiumque aliorum decretorum, quale est quod Jansenianum factum appellatur. Verùm delatorem iterùm audiamus.

Ex alterâ hâc propositione Mandati, REVELATUM EST QUIS SIT SENSUS TRADITIONIS, *non minùs commodi Jesuitæ consequuntur. Nam traditio sanè, præter symbola & Conciliorum canones, complectitur quoque scripta Patrum per ætates singulas; & traditionis ipsius sensus nihil est præter eum qui scriptis ejusmodi continetur. Ea scripta sunt, ut ita dicam, corpus traditionis, eorum verò sensus est ve-*

luti traditionis anima, *ita ut quisquis sciat quis sit sensus traditionis*, *verbi gratiâ de peccato originali*, *idem sciat quoque quis sit sensus eorum locorum*, *quibus singuli Patres de eo locuti sunt*. *Atqui propositio illa* (*hic est Patrum de eâ re sensus*) *propositio quædam est generalis*, *quâ singula illa facta continentur*, *hic est sensus sancti Cypriani*, *hic est sensus S. Basilii*, *hic est sensus sancti Ambrosii*, *hic est sensus sancti Chrysostomi*, *atque ita de cæteris omnibus*. *Jam illud satis patet*, *facta hæc esse sui quæque sæculi propria*, *prorsùs ut nostri sæculi factum quoddam est adeo famosum illud*, HIC EST SENSUS JANSENII.

Nihil est aptius eâ comparatione, nihil quod majorem vim habeat ad efficiendum id quod volumus. Textus dogmatici sunt *corpus traditionis*, textuum sensus est traditionis *anima*. Factum illud Janseniani sensus non minùs facit ad traditionem sæculi decimi septimi, quàm textus sancti Chrysostomi facit ad sæculi quarti traditionem. Eâ ipsâ re ductus cœtus Cleri Gallicani anno 1656. dixerat id quod cætus anni 1660. & 1675. suo suffragio confirmarunt. *Errorem facti .... locum non habere in controversiis facti necessariò conjuncti cum fidei dogma-*

Relat. de liber. Cleri pag. 20.

ribus .... *& Ecclesiæ, hanc traditionem quæ in facto consistit, declarantis, eamdem esse infallibilem autoritatem, quæ est ejusdem Ecclesiæ de fide judicantis;* quippe *futurum alioquin ut omnia Christianæ Religionis dogmata dubia incertaque forent, quod cum stabili & constanti fidei veritate pugnat.*

Quare tota Illust. Atrebatensis oratio redit ad illud, quod fuerat à Clero Gallicano statutum, scilicet facta ejusmodi, quæ sunt quidem tempore revelationis posteriora, sed quæ tamen ad juris controversiam pertinent, quia sæculorum suorum de dogmatibus traditionem certam demonstrant, dijudicari eâ infallibili Ecclesiæ autoritate, quæ promissa sit, atque adeò quæ sit revelata. Sed institutam comparationem delator sic prosequitur.

Igitur, inquit, *si verum illud est, revelatione cognosci* QUIS SIT SENSUS *traditionis de dogmate quocumque, dicendum est cognosci pariter revelatione hunc esse sensum Patrum singulorum, qui de eo dogmate locuti sunt, quo semel constituto, nihil est cur non idem de hocce facto pronuntietur*, HIC EST JANSENII SENSUS.

Extra omne dubium est, unum ex altero ritè confici. Non potest Ecclesia

dicere de gratiæ necessitate, hic est sensus sancti Cypriani, sancti Basilii, sancti Ambrosii, sancti Chrysostomi, quin eâdem prorsùs autoritate dicere debeat; Non est hic sensus Wicleffi, Lutheri, Calvini, & si modo Jansenius à Patrum sensu discedit, Ecclesia in secernendis iis textibus, quibus vera traditio constat, ab iis quibus ea corrumpitur, dicere debet, non est hic Jansenii sensus.

Instat delator, & finem urgendi nullum facit. NAM, inquit, SI QUIS SIC EXCIPERET FACTA ILLA ESSE REVELATA, QUIA EX IIS TRADITIO COALESCIT, AD QUAM JANSENII FACTUM NULLA EX PARTE PERTINET, IS OSTENDERET SE NE INTELLIGERE QUIDEM QUID VENIAT IN CONTROVERSIAM *Quippe factum S Ambrosii, S. Chrysostomi & cujuslibet alterius ex sanctis Patribus, tam erat novum ac recens, eo quo singuli Patres vivebant seculo, quàm nunc est factum scriptorum hujus ætatis; hi verò scriptores quondam prorsùs æquè pertinebunt ad traditionem, ac præteritorum sæculorum scriptores ad eam hodie pertinent. Igitur si facta singulorum Patrum, quamvis ea recentia suo quæque sæculo fuerint, sunt nihilominùs facta totidem revelata, factum pariter Jansenii vel quodlibet al-*

terum hujus sæculi factum, quamvis sit jam recens ac novum, debet nihilominùs inter revelata facta numerari. Et verò textus Jansenii, quod nos jam advertimus, non minoris momenti est in partem malam ad sæculi decimi septimi traditionem, quàm fœdat ac corrumpit, quàm S Chrysostomi textus, verbi gratiâ, in bonam partem ad quarti sæculi traditionem, quam exornat ac tuetur. Imò magis etiam Ecclesiæ necessarium est ad securitatem depositi damnare textus pestilentes, quibus traditio corrumpitur, quàm eos probare quibus traditio confirmatur. Ergo non minùs Ecclesia debet esse immunis ab erroris periculo ad veram traditionem à falsâ secernendam in Jansenii quàm in S. Chrysostomi textu.

Jam verò, inquit delator, *ea quæ dicta sunt hactenùs, colligamus in pauca. Sciri non potest hunc esse traditionis sensum de aliquo fidei dogmate, nisi quatenùs scitur quis sit sensus hujus symboli, horum canonum, horum locorum à sanctis Patribus per singula sæcula scriptorum. Atqui ex decreto Illustrissimi Atrebatensis, revelatio nos docet quis sit sensus traditionis de fidei dogmatibus. Ergo ex eodem decreto docet quoque nos revelatio, quis sit sensus hujus*

symboli, horum canonum, horum vel illorum locorum à sanctis Patribus per sæcula singula de aliquo fidei dogmate scriptorum.

Est sanè tota hæc argumentatio firmissima. Sed eadem adversùs homines è sectâ, qui eam proponunt, retorqueri facilè potest, scilicet ea textuum dogmaticorum collectio, quod *est corpus traditionis*, norma est, ad quam nostra fides exigitur. Atqui Ecclesia vi divinarum promissionum immunis est ab erroris periculo in eâ normâ, ad quam nostra fides exigitur. Est igitur Ecclesia immunis ab erroris periculo in eâ textuum collectione, quod *est corpus traditionis*. Præterea verò textus canonum, cæterorumque decretorum roboris ejusdem, quale est decretum quo Jansenius damnatur, sunt sanè textus longè maximi ad illud traditionis corpus momenti, sunt certissima norma ad quam nostra fides exigatur. Solemnia hæc Ecclesiæ instrumenta sunt profectò longè majoris ad traditionem momenti, quàm privata etiam sanctorum Auctorum scripta. Igitur Ecclesia debet esse prætertim immunis ab erroris periculo in suis canonibus atque aliis roboris ejusdem decretis. quibus textus dogmatici iidem ac pestilentes damnantur. Si non esset Ecclesia im-

munis ab erroris periculo in dijudicandâ illâ textuum collectione, quâ traditionis corpus efficitur, ea collectio quæ fidei nostræ norma est, humanæ confidentiæ ac libidini permitteretur. Eam singuli novatores ad sua præjudicia interpretando traherent, prorsùs ut Protestantes sacrarum scripturarum textus inauditâ atque inconsultâ Ecclesiâ interpretantur. Imò discrimen hoc esset, quòd cum ea textuum collectio quod est corpus traditionis, sit multò prolixior quàm textus scripturarum, longè major esset difficultas in eorum textuum innumerorum qui ad traditionem pertinerent, quàm in textûs sacri sensu determinando. Quare traditio non modò ad sacras Scripturas investigandas infirmitati ac confidentiæ humanæ opem aut remedium nullum afferret, sed & ipsa textus quidam esset infinitus, quo superbia & confidentia humana magis etiam quàm scripturæ textu abuteretur.

Id unum superest, pergit delator, *ut advertamus inter Illustrissimum Atrebatensem & Jesuitas discrimina esse duo, eaque insignia, quibus efficitur illius Mandatum longè plus habere periculi, quam horum thesim. Primum in eo versatur, quòd ea*

ſententia quam hi ſuâ theſi propoſuerunt; non poteſt denique ſpectari niſi ut Scholaſtica quædam ſententia à privato aliquo & nullius auctoritatis Theologo propoſita, neque verò hi dum eam deffenderunt, quidquam aliud poſtularunt .... eadem verò Illuſtriſſimi Atrebatenſis Mandato, adjuncto Epiſcopalis auctoritatis pondere, proponitur Eccleſiæ nomine, & tanquam dogma fidei, cui contrarium dogma ſit error, & debeat ejurari. Alterum diſcrimen inter Illuſtriſſimum Atrebatenſem & Jeſuitas eſt, quòd hi quidem ſatis habebant dicere, poſſe credi fide divinâ facta Janſeniani facti ſimilia, illius verò Mandatum manifeſtè probat ea credi oportere &c.

Nunquam illud debet nobis excidere, delatorem abuti ambiguis illis veritatis revelatæ & fidei divinæ vocibus, quæ tam facilè diſtingui poſſunt. Cætera verò quod attinet, ejus argumentatio tota firmiſſima eſt & numeris omnibus abſoluta. Itaque nos ſi delatoris argumentationem cum Arnaldi verbis conjungamus, id omne quod probandum ſuſcepimus, ipsâ noſtrorum adverſariorum confeſſione conſequemur.

Arnaldus quidem ait de iis textibus, qui traditionis veræ monumenta ſunt, *prorsùs neceſſe eſſe ut iis tanquam mediis*

ntatur Ecclesia ad veritates fidei cognoscendas ..... FACTA EJUSMODI ESSE VERAS JURIS CONTROVERSIAS ..... DICI PLANE ET OMNINÒ NON POSSE EJUSMODI FACTA NON ESSE REVELATA. Delator verò contestatur fieri non posse; ut Illust. Atrebatensis fateatur Ecclesiam esse immunem ab erroris periculo in suorum symbolorum canonumque textibus dijudicandis, nisi eam pariter in dijudicando Jansenii textu immunem esse ab erroris periculo fateatur. Atque illud; quæso; carissimi Fratres, advertite, Arnaldum id ipsum suo illo scripto affirmare, quod Illust. Atrebatensis suo Mandato pronuntiavit, nimirum textus traditionis ac præsertim textus canonum *esse veras juris controversias, & dici planè & omninò non posse, ejusmodi facta non esse revelata.* Itaque non minùs perspicuè adversùs Arnaldum, quàm adversùs Illust. Atrebatensem delator ostendit *inter hæc facta nullum esse, quod scripturâ vel traditione potiùs contineatur, quam factum Jansenii.* Nos solis nominibus commutatis ipsam sectam sibi contrariam ac repugnantem faciemus. Itaque Delator Arnaldum sub Illust. Atrebatensis personâ sic arguet. (Illud defendis Canonum atque etiam SS. Patrum textus *todidem*

dem esse facta revelata, vel certè totidem facta, in quibus dijudicandis Ecclesia revelationis vi ac fide ponatur extra periculum erroris. *Quid est igitur, quod Jansenii factum inter ea quæ sunt Ecclesiæ revelata, numerari non pateris,* vel inter ea certè, quæ ab Ecclesia rectè dijudicatum iri revelatio nos certos facit? Factum quoddam sæculi decimi septimi, quod æque dogmaticum est ac facta sæculi quarti, sexti, decimi quinti, & decimi sexti, non minoris est ad traditionem momenti, quam priorum horum quatuor sæculorum facta. Non minùs quam illi alii textus ad fidem nostram vel dirigendam vel corrumpendam facit. *Existimate ..... quid respondere posset Arnaldus.*)

Frustrà verò Arnaldus excipit factum positum in eo sensu qui Jansenii libro continetur, factum esse quoddam nonnisi decimi septimi sæculi. Reponit delator : Textus sanctorum Patrum atque aliorum inter Catholicos scriptorum, *sunt, ut ita dicam, corpus traditionis, eorum verò sensus est veluti traditionis anima. Igitur ut quisquis sciat quis sit sensus traditionis, verbi gratiâ de peccato originali, idem sciat quoque quis sit sensus locorum, quibus singuli Patres de eo locuti*

sunt, & dicere possit, ut hoc ponamus exemplum, hic est sensus sancti Ambrosii, hic est sensus sancti Chrysostomi &c. Jam illud satis patet, facta hac esse sui quaque saculi propria, prorsùs ut nostri saculi factum quoddam est adeò famosum illud, HIC EST SENSUS JANSENII.

Sciri non potest, inquit delator, *hunc esse traditionis sensum de aliquo fidei dogmate, nisi quatenùs scitur quis sit sensus hujus symboli, horum canonum, horum locorum à SS. Patribus per singula sacula scriptorum. Atqui* ex pronuntiato Arnaldi, *revelatio nos docet*, vel certè revelatio nobis pollicetur Ecclesiam absque erroris periculo dijudicaturam, *quis sit sensus traditionis de fidei dogmatibus. Ergo ex eodem* Arnaldi pronuntiato *docet quoque nos revelatio*, vel nobis certè pollicetur Ecclesiam absque erroris periculo dijudicaturam, *quis sit sensus hujus symboli, horum canonum, horum vel illorum locorum à sanctis Patribus per sacula singula de aliquo fidei dogmate scriptorum*, atque adeò decretorum etiam, quæ canoni sunt æqualia, & eâdem sunt ad fidem nostram dirigendam auctoritate.

Id unum superest, ait delator, *ut advertamus inter* Arnaldum *& Jesuitas discrimina esse duo, eaque insignia, quibus ef-*

ficitur illius pronunciatum *longè plus habere periculi, quam horum thesim. Primum in eo versatur, quod* thesis hanc doctrinam proponit tantùm quasi opinionem quamdam, Arnaldi verò pronuntiatum affirmatur quasi dogma quoddam, quod fundamenti locum teneat. *Alterum discrimen inter* Arnaldum *& Jesuitas est, quod hi quidem satis habebant dicere, posse credi fide divinâ facta Janseniani facti similia, illius verò* pronuntiatum *manifestè probat ea credi oportere &c.* Ita fit, ut secta se ipsa refellat & confutet. Ita facit Deus, ut vel ex nostris adversariis præcipui manifestè fateantur ea omnia, quæ nos pro Ecclesię causâ contra ipsos postulamus. Sileant igitur aliquando, suumque errorem modestè agnoscant, vel certè eâ de re nobis respondeant tam breviter, tam clarè, tam decretoriè, ut ab omnibus possint intelligi.

III.

Quid fateatur Illust. S. Pontii Episcopus.

NOn *possumus*, inquit Illust. S. Pontii Episcopus. *eos*, scilicet Protestantes, *ad silentium adigere, nisi dicamus ver-* *Epist.* 1. *pag.* 5.

bum Dei non esse obnoxium errori, ejus interpretes esse Pastores, nos eodem loqui modo quo Patres nostri locuti sunt, hos ita accepisse à decessoribus suis, decessores ab Apostolis, Apostolos à Christo: iis denique omnibus, quæ illi possunt adversùs Ecclesiæ ministros effutire, id tantùm effici, religionem nostram maximè divinam esse oportere, siquidem hominum iniquitas & cupiditates non faciunt, ne perficiatur id quod Christus spopondit.

Sanè is qui loquitur, textus facit vel scripto vel vivâ voce prolatos. Scire *quo modo Patres nostri locuti sunt*, nihil est aliud, quàm textus eorum dijudicare. Imò affirmat Illust. S. Pontii Episcopus *nos eodem loqui modo, quo Patres nostri locuti sunt*, quod facere profectò non possumus, nisi & textus nostros conferamus cum Patrum nostrorum textibus, & alteros alteris consentientes esse judicemus. Hoc est nimirum illud in conferendis inter se textibus judicium, quam veluti normam Ecclesia in antiquis Conciliis adhibuit, *consonat*, *dissonat*. Et hoc Illust. Præsul adjungit longè gravius, *Patres nostros* eo locutos esse *modo*, *quem acceperunt à decessoribus suis*, ipsos verò *decessores* eam tenere loquendi rationem, quam *ab Apostolis* habuerunt. Affirmat

igitur hos textus innumeros per ſæcula ſeptemdecim eſſe omnes pares & conſentientes inter ſe. Id verò unde certum & exploratum habet ? An à naturali totius Paſtorum corporis infallibilitate in iis textibus æſtimandis, qui manifeſtè conſentiunt ? Minimè verò. Si nulla foret alia firmitas, homines & ſuis præjudiciis & cupiditatibus abrepti nullum facerent diſputandi atque ambigendi finem de innumeris illis ſæculorum ſeptemdecim textibus inter ſe comparandis. Textus illi quibus *traditio continetur*, cum longè ſint majori numero quàm Scripturæ ſacræ textus, traditio magis etiam quàm ſcriptura ſuperborum & confidentium hominum diſputationibus præda eſſet objecta, ſi nulla eos autoritas immunis ab omni erroris periculo retineret. Quid eſt igitur quo traditio per tot textus diffuſa determinari certò poſſit ? An evidentia textuum illorum, quos oportet comparari ? Imò verò hæc ipſa evidentia eſt de quâ perpetuò ambigeretur. Sed nimirùm *hominum iniquitas & cupiditates non faciunt ne perficiatur id quod Chriſtus ſpopondit.* Hæc ipſa eſt *Chriſti ſponſio*, quæ nos certos facit, nunquam fore ut erret Eccleſia in textibus iis comparandis, quibus ab Apo-

stolorum ætate ad nostra usque tempora *traditio continetur*. Hoc ipsum esse videtur Illust. S Pontii Episcopo, quod unum veræ Ecclesiæ causam adversùs Protestantes planè confirmat. *Non possumus eos*, inquit, *ad silentium adigere, nisi dicamus &c.* Quamobrem, fatente Illustrissimo Præsule, ea traditio, quæ Protestantibus opponitur, autoritatem firmam haberet nullam, neque minùs quam scriptura foret obnoxia disputationibus hominum de evidentiâ, nisi firmissimum hoc ponatur fundamentum, scilicet infallibilitas Ecclesiæ in his omnibus, & sanctorum Patrum & aliorum quos testes habet traditio, textibus dijudicandis.

Atque hæc tota Illustrissimi Præsulis disputatio nititur eo ipso principio, quod Arnaldus iis quæ modò retulimus verbis posuit *Quoniam*, inquit, *sunt facta quædam, quæ sejungi prorsùs a jure non possunt, quia sunt unica ratio juris credendi* Et verò textus sancti Augustini cum summorum Pontificum Innocentii & Zosimi textibus conjuncti, sunt plurimis quidem Theologis *unica ratio credendi* dogmatis gratiæ, quippe qui, nisi hæc decretoria facta existerent, inter sanam doctrinam & Pelagianismum incerti ac dubii remanerent. Pariter omninò

Ib. p. 24.

textus ille quinque Constitutionum, à quo divelli non potest Jansenii textus qui Constitutionibus illis damnatur, est plurimis theologis *unica ratio credendi* dogmatis illius, quod Jansenii systemati adversatur, quia illi Theologi nisi hoc decretorium factum existeret, valdè propenderent ad systema delectationis illius, quæ liberum arbitrium & prævenit indeclinabiliter, & insuperabiliter determinat, qualis systematis nullo jure Jansenius S. Augustinum autorem facit. Hocce factum est tum temporis, *unica ratio* credendi juris, atque adeò tum, ut fatetur Illust. Præsul, *factum* ejusmodi *sejungi prorsùs à jure non potest*.

Præterea nos his vocibus affatur: *Ib. p. 26.* ULTRÒ ETIAM FATEBOR, SENTENTIAM TUAM ESSE PIAM..... IMÒ ET ILLUD ADDAM ..... FORE NON PARUM UTILE, MENTEM HUMANAM TENERI QUASI ARCTISSIMIS RELIGIONIS VINCULIS CONSTRICTAM, *ut fractâ ac depositâ superbiâ quibuslibet Ecclesiæ decretis obsequi condiscat. Hinc profectò longè major corpori Pastorum auctoritas accederet.* Eâdem planè ratione *Silentii obsequiosi deffensor* disputat. *Illud ultrò* *p. 1355.* *fateor*, INFALLIBILITATEM EJUSMODI PLURIMUM ET COMMODITATIS ET UTI-

LITATIS HABITURAM. Usquequò tandem homines è sectâ oculos habebunt, nec videbunt tamen, aut intelligent non passum esse Christum, ut Ecclesiæ suæ deesset ulla auctoritas, quæ foret *utilis* ad *frangendam* mentium pervicacium *superbiam*, & *mentem humanam quasi arctissimis religionis vinculis constringendam*? Vident homines è sectâ promissiones divinas, si sensu obvio sumantur, ad textus pertinere, siquidem de *docendis omnibus gentibus* agitur. Vident prorsùs necesse esse, ut ejusmodi autoritas adjungatur ad *frangendam* hominum confidentium *superbiam*. Quid est quod volunt aliquod humanæ *superbiæ* perfugium relinquere? Quid est quod repudiant *sententiam* illam *piam* atque *utilem*, quæ conceptis promissionum divinarum verbis apertè continetur? Quid est quod contendunt Christum Ecclesiæ negasse *arctissima* illa *religionis vincula*, quibus *humana mens constricta* teneatur? Si diffiteri non possunt causam nostram esse plausibilem atque optimam, quid est quod videntur non intelligere, quantum invidiæ atque offensionis causam suam habere necesse sit?

I V.

Quid fateatur Theologus quidam Leodiensis.

LEodiensis ille Theologus, qui nuper scripsit librum, cui titulus, *Deffensio auctoritatis Ecclesiæ*, semper habitus est sectæ Jansenianæ studiosus. Et verò autoritatem omnem quinque Constitutionum eò concludit, ut dicat esse probabiliter verum, atque adeò probabiliter quoque esse falsum, quinque Constitutiones quibus Jansenius damnatur, justas esse & veritate nixas. Hæc sunt tamen, quæ ab illo scriptore ipsa vis veritatis expressit.

Percontamur quintò, an Ecclesia non foret fallibilis in veritatibus quas Christus docuit, si falleretur malè intelligendo traditionem vel scripturam; & consequenter, AN JUDICANDA NON SIT INFALLIBILIS IN TRADITIONE *eliciendâ & intelligendis Patribus, quorum doctrina traditionem constituit, & ex quibus S. Scripturæ sensus est hauriendus.? Nunquam enim negabit, scripturam esse intelligendam secundum traditionem quæ ex unanimi Patrum consensu petenda est, quem-* p. 113 & 114.

admodum Tridentina synodus definit. Et tamen sanctos Patres scripsisse, item quo pacto sint intelligendi, facta sunt longè posteriora Ascensione Christi, adeòque longè recentiora Oraculo Christi, ex quo suum argumentum eruunt adversarii.

Rogamus sextò, an Ecclesia non definiret implicitè errores, si tanquam Concilia œcumenica & legitima approbaret Conciliabula, quæ statuerunt errores contra fidem? item si adoptaret & tanquam suam proponeret unius Patris doctrinam falsam; & consequenter, an Ecclesia non sit CENSENDA INFALLIBILIS *in detegendo sensu istorum Patrum, quorum doctrinam fidelibus proponit tamqam ex traditione decerptam v. g. in sensu S. Cyrilli de unitate personæ in Christo? Aut saltem, an non* EGEAT SPECIALI AUXILIO NE DECIPIAT FIDELES *in istiusmodi circumstantiis? Verùmtamen hac facta, S. Cyrillum scripsisse, vel quis sit ejus scriptorum sensus, diu posteriora sunt Ascensione Christi.*

Penes nos habemus Epistolam ejusdem auctoris conscriptam, cujus hæc verba sunt. ECCLESIAM QUIDEM CREDO ESSE IMMUNEM AB ERRORIS PERICULO IN QUIBUSDAM FACTIS DOCTRINALIBUS, V. G. IN SANCTIS PATRIBUS INTELLIGENDIS, QUATENÙS EST HÆC

INTELLIGENTIA AD COGNOSCENDAM TRADITIONEM NECESSARIA. *Sed nihil habeo certum quod statuam generatim de factis omnibus doctrinalibus.*

1. Fatetur hic scriptor *facta quædam* esse *doctrinalia*, eaque omni revelatione *posteriora*, in quibus tamen *Ecclesia sit immunis ab erroris periculo.*

2. Illud agnoscit, facta ejusmodi fundamenta quædam esse, *ad eliciendam traditionem* necessaria, quemadmodum ipsa traditio norma est quâ elicitur sacrarum scripturarum interpretatio, ita ut & traditionis & ipsius adeò scripturæ verus sensus certò cognosci non possit, nisi facta illa quæ fundamenti locum obtinent, omnino certa sint & ab omni erroris periculo sejuncta.

3. Inter *ea facta doctrinalia*, in quibus *Ecclesia sit immunis ab erroris periculo*, numerat existentiam & propriam significationem textuum à sanctis Patribus conscriptorum. *An igitur*, inquit, *Ecclesia non est* CENSENDA INFALLIBILIS IN DETEGENDO SENSU ISTORUM PATRUM, *quorum doctrinam fidelibus proponit tanquam ex traditione, decerptam*, V. G. IN SENSU S. CYRILLI, *de unitate personæ in Christo*?

4. Affirmat Ecclesiam *saltem agere*

SPECIALI AUXILIO, *ne decipiat fideles in istiusmodi circumstantiis.* Tam clarum ac manifestum est, quàm quod maximè, illud *speciale auxilium*, quod semper adest Ecclesiæ, facitque *ne decipiat fideles in istiusmodi circumstantiis*, esse Spiritûs sancti præsidium quod eam prohibeat à lapsu atque errore, quod unum nos postulavisse, nemo est qui non intelligat. Frustrà verò dixeris huic Theologo, Ecclesiæ satis esse infallibilitatem naturalem seu vulgarem communemque sapientiam ad certò cognoscendam evidentiam textûs S. Cyrilli. Reponit ille, hujusmodi evidentiam non satis esse, quippe si Ecclesia suæ sapientiæ naturali relinqueretur in dijudicando aliquo textu dogmatico spinosiori ac subtiliori, facilè futurum, ut in subreptionem aliquam laberetur; quare illam *saltem egere speciali auxilio, ne decipat fideles* in dijudicandis iis *factis doctrinalibus*, quibus *traditonem elicit* ac determinat.

5. Illud restat, ut quod apertum est advertamus, scilicet factum in Janseniano textu positum non minoris esse adversùs fidem momenti sæculo decimoseptimo, quàm factum positum in textu S. Cyrilli faciebat ad fidem sæculo quinto. Non minùs necesse est ad securitatem de-

positi, repudiare Jansenii falsam de gratiâ traditionem, quàm amplecti veram S. Cyrilli traditionem *de unitate personâ in Christo*. Ecclesia ut traditionem veram secernat à falsâ, non minùs debet esse immunis ab erroris periculo in quinque Constitutionibus, quarum pars vel præcipua est textus Jansenii, quàm in approbando S. Cyrilli textu. Quare si diligenter instituatur hæc comparatio tam obvia, tam decretoria, manifestè consequetur ex eo quod Leodiensis Theologus disputationis suæ fundamentum esse voluit, factum Janseniani textûs unum esse ex illis *factis doctrinalibus*, quæ ad *eliciendam traditionem* conducant, atque adeò in quibus dijudicandis *Ecclesia sit immunis ab erroris periculo*. Et verò nihil æquè conducit ad eliciendam traditionem, & eam quæ vera est à falsâ distinguendam, quàm quod Jansenii textus quinque Constitutionibus idcircò damnatur, quia falsò tribuit sancto Augustino systema delectationis cujusdam indeclinabilis atque insuperabilis, quo systemate hæreses quinque continentur.

V.

Silentii obsequiosi deffensor aliquid etiam majus apertiusque confitetur.

QUi silentium obsequiosum deffendere aggressus est, aliquid etiam amplius adjungit, quàm quod vel ab ipso prolatum ostendimus, vel ex Arnaldo, ex Vallonio, ex scriptore notarum, ex historico Casus conscientiæ, ex delatore Mandati Atrebatensis, ex Illust. sancti Pontii Episcopo, ex Theologo Leodiensi, desumptum repræsentavimus.
p. 107. Ejus quippe verba sunt. *Spiritus sanctus qui in Ecclesiâ consistit & commoratur, eam regit* AB QUE ULLO ERRORIS PERICULO IN IIS QUÆ AD DISCIPLINAM PERTINENT, *quæque illa sine ullâ revelatione ordinat, & componit.* Addit idem,
p. 109. *Ecclesiam prorsùs esse* IMMUNEM AB OMNI ERRORIS PERICULO *in decernendis ejusmodi rebus, quæ ad externam administrationem & rectum ordinem pertinent.*
p. 1057. *Hoc ultrò profiteor*, inquit, *quotiescumque veniet aliquid in controversiam, quod ad fidem & disciplinam facere videatur, fieri nunquam posse, ut tùm Dei spiritus Ec-*

clesiæ promissus ipsam deserat, cùm statuendum ac decernendum est.

Deus, pergit idem scriptor, *absque ullâ novâ revelatione, absque ullo miraculo quod quidem sub sensum cadat, sic temperat eam quam dat Ecclesia cognitionem ac scientiam, atque ita rerum futurarum seriem aptè disponit, ut ex generalibus Ecclesiæ decretis nihil unquam oriatur, quo lædi fides aut mores violari possint.* Plena sunt tria scriptoris hujus volumina, confessionibus ejusmodi, non minùs apertis ac decretoriis. p. 1166.

Deindè vero idem fatetur *vocum usum atque electionem pertinere ad disciplinam*, atque illud sæpiùs iterat. Et sanè textus illi dogmatici, quibus traditio circa fidem & mores aut servari potest aut vitiari, si nihil aliud, censeri saltem debent ad disciplinam pertinere, ut vel approbentur vel reprobentur. Ipsi illi homines è sectâ, cum quinque Constitutiones elevare verbis ac deprimere volunt, hoc aiunt illis constitutionibus, quantùm pertinet ad facti controversiam, latum esse decretum quod sit solius disciplinæ. Illud si sequimur, opera S. Augustini adversùs Pelagianos dicentur non fuisse probata ab Ecclesia nisi decreto quod sit solius disciplinæ. Recta certè disciplina p. 115. & seq.

atque administratio postulat, ut ille textus non approbetur, nisi quatenùs est ab omni erroris contagione sejunctus. Pariter si, quod homines è sectâ toties prædicarunt, *Augustinus* Iprensis tam purus est quàm Hipponensis, rectæ administrationis leges postularent, ut eadem esset utriusque auctoritas, eadem commendatio. Nihil esset tam exitiale, ac perniciosum rectæ administrationi, quàm si S. Augustini opera damnarentur. Quippe eo pacto probaretur error Pelagianus, quo omnis oratio, omnis humilitas Christiana funditùs evertitur. Pariter omninò, si ponitur Jansenium fidelem esse S. Augustini interpretem, non potest liber adeò cælesti doctrinâ plenus damnari, ut non oppugnetur gratia, humana superbia foveatur, & Pelagiano errori tribuatur victoria. Postulat igitur profectò disciplina & recta administratio, ut Ecclesia & nunquam textus eos probet, quibus *profana vocum novitates* continentur, quæ *ut cancer serpunt* adversùs fidem, & nunquam damnet eos textus, qui *formam sanorum verborum* ad sacri depositi, custodiam complectuntur.

Est igitur, vel hoc scriptore confitente, Ecclesia immunis ab erroris periculo in omnibus textuum controversiis, etiamsi

etiamsi ad meram disciplinam ejusmodi controversiæ pertinere censerentur. Fatetur itaque idem scriptor, homines è sectâ prorsùs immeritò ac nullo jure per annos amplius 50. tantis clamoribus contendisse, non posse infallibilitatem patere latiùs quàm revelationem, neque Ecclesiam esse immunem ab erroris periculo, nisi in veritatibus revelatis. Omnia sectæ scripta solus ille scriptor damnat atque emendat. Tandem aliquando confitetur, infallibilitatem eam promissam & quæ à Spiritûs sancti præsidio proficiscitur, patere latiùs quàm veritates revelatas, atque etiam valere *in iis quæ ad disciplinam pertinent, quæque Ecclesia sine ullâ revelatione ordinat & componit.* p. 107. In eamdem classem refert omnes *ejusmodi res, quæ ad externam administrationem & rectum ordinem pertinent*, denique ea omnia *quæ ad fidem & disciplinam facere videantur.* Quid est verò quod æquè faciat *ad externam administrationem & rectum ordinem*, quàm nunquam dicere bonum malum, & malum bonum, quàm nunquam textum purum pro hæretico, nunquam hæreticum pro puro dare? Quid est, quod *pertineat* ad majus *fidei & disciplinæ* periculum, quàm approbare textum eum, qui *ut cancer*

p. 109.

p. 139.

ſerpit adversùs fidem, eum verò damnare, quo Apoſtolica traditio pura & incorrupta ſervatur? Eſtne quiſquam, qui dicere audeat, nullos alios textus ad diſciplinam pertinere, præter textus Eccleſiæ proprios, hoc eſt præter ſymbolorum canonumque textus? Nonne jam à nobis oſtenſum eſt, textûs alicujus v. g. Janſeniani damnationem, eſſe quoddam canonis genus, ejuſdem planè roboris, ejuſdem autoritatis ad fidem noſtram dirigendam? Nonne à nobis oſtenſum eſt, textum damnatum, etiam illum qui ſit longior, omninò contineri eo Eccleſiæ textu, hoc eſt, iis quinque Conſtitutionibus, quibus damnatur, quemadmodum textus brevior continetur eo canone, quo adjectâ anathematis interminatione proſcribitur? Sed omittamus tantiſper hæc omnia, quæ jam oſtendimus; hæreamus in iis, quæ noſter ille adverſarius nobis ultrò atque ipſis verbis largitur. Nonne *ſilentii obſequioſi deffenſor* fatetur eam quam tot argumentis propugnat, diſciplinæ infallibilitatem, pertinere etiam debere ad ea
p. 1057. prorsùs *omnia quæ ad fidem & diſciplinam facere videantur*? Nonne eam ipſe pertinere vult ad *omnia* prorsùs *generalia*
p. 1166. *Eccleſiæ decreta, ex quibus* NIHIL UN-

QUAM *oriri* contendit, *quo lædi fides, aut mores violari poßint*? His vocibus, *nihil unquam*, abſoluta quædam & univerſalis negatio continetur, quæ nullum ulli exceptioni relinquit locum. Quid eſt autem, quo magis *lædi fides aut mores violari poßint*, quàm ſententia vel quinquies prolata ad textum eum damnandum, quem alii quinque hæreſibus plenum eſſe deffendunt, atque ad labefactandam morum regulam accommodatum, alii tam purum eſſe affirmant, quàm ſit S. Auguſtini textus, neque poſſe damnari, niſi Pelagianæ ſuperbiæ de gratiâ Chriſti triumphus approbetur? Nonne in eo certè rerum ſtatu fateri adverſarius noſter debet, *vocum uſum atque electionem ad diſciplinam pertinere?* Res igitùr confecta eſt eâ ſolâ confeſſione, quâ noſtra controverſia omnis abſolvitur. Omittamus jam inanes illas argutias hominum è ſectâ de textibus longioribus aut brevioribus, de claris vel obſcuris, de iis quæ ad criticam ſpectant, vel qui non ſpectant, de textibus Eccleſiæ propriis vel non propriis. Quò pertinent illæ tanto plauſu exceptæ diſtinctiones? Nimirum ipſæ ſuâ ſponte concidunt. Neque enim obſtant quominùs *ſilentii obſequioſi deffenſor* fateri cogatur, adeſſe Eccleſiæ *ve-*

ram infallibilitatem, & eam quidem promissam ad *omnia* sua *decreta generalia*, quæ ad fidem aut mores aliquo pacto pertineant.

Præterea verò Ecclesia formulam certam constituit, in cujus verba jusjurandum postulat de fide internâ, certâ & nunquam revocandâ hæreticitatis textûs Janseniani. Jusjurandum ejusmodi postulat ab omnibus Ecclesiæ ministris, præsertim verò ab iis, qui textum hunc hæreticum non esse videntur sibi vel manifestissimè & certissimè perspexisse. Dicetne quispiam, Ecclesiam tyrannidem ac vim inferre mentibus hominum, ut à suis ministris extorqueat hujusmodi jusjurandum, quod & vanum sit, & sit de aliquâ meræ criticæ controversiâ, positâ in *facto momenti nullius*? Dicetne quispiam, Ecclesiam adigere ad falsum jusjurandum eos omnes, quos manifestum est necessariò teneri insuperabili quâdam de eo facto dubitatione, seu quia librum ipsum non legerent, seu quia non sunt ad eum cognoscendum idonei, seu quia non satis certi sunt Ecclesiam suo decreto non posse in errorem ipsos inducere? Dicetne quispiam, Ecclesiam exigere jusjurandum cui conscientia reclamet, ab omnibus illis *urbanis viris*, quos

Arnaldus commemorabat, qui cum in Janſenii libro nihil videant præter delectationem indeclinabilem atque inſuperabilem, quam ipſi cæleſtem S. Auguſtini & omnium verè Catholicorum doctrinam interpretantur, hunc tamen librum interpoſito jurejurando damnant, ducti molli quâdam ſimulatione prudentiæ, quæ ſolâ commentitiâ probabilitate nitatur? Dicetne quiſpiam, id quod ſectæ principes dicere non ſunt veriti, *ſubſcriptiones illas coactas, quæ jam a triginta vel quadraginta annis exiguntur* nihil eſſe præter *mendacia, perjuria, diſſimulationis atque hypocriſis opera*? Dicetne quiſpiam, Eccleſiam hæc perjuria tam aperta, tam tetra extorquere? Dum ſcriptor ille Eccleſiam in ſuâ adminiſtratione ſanctam atque immunem ab erroris periculo eſſe prædicat, nonne ſimul confitetur id contingere nunquam poſſe? Quid vero magis unquam repugnabit puræ *diſciplinæ, externæ adminiſtrationi & recto ordini*, quàm auctoritas ea tyrannica, quæ tot *perjuria*, tot *diſſimulationis atque hypocriſis opera* per vim manifeſtam extorqueret? Quis deberet eſſe ſenſus de eâ Eccleſiâ, quę miniſtros ſuos omnes jurare cogeret in vanum de aliquâ meræ criticæ controverſiâ, quę

Epiſt. Epiſc. ad Epiſc. p. 164.

nihil planè faceret ad controversiam juris, & tota versaretur in *mero facto momenti nullius*? Essetne immunis ab erroris periculo in *disciplinâ*, in *administratione*, in *recto ordine*, in moribus, si tot Theologos cogeret jurare se esse certos, etiamsi certi non essent, neque ab objecto quod ponitur esse obscurum, neque ab autoritate quę ponitur obnoxia errori, atque adeo fallax? Quid posset existimari de eâ Ecclesiâ, quæ vim ac tyrannidem manifestam afferret hominum mentibus in eâ sententia, quæ & probabiliter vera & probabiliter falsa foret, atque adeò quæ juramento affirmari cogeret fidem illius facti, quod esset & probabiliter falsum, & prætereà *nullius momenti*? Quid posset de eâ credi, si suam auctoritatem dubiam licet atque incertam certissimę sententię ac judicio juberet anteponi? Tum certè impia & tyrannica foret in illâ disciplinâ, nedum sancta atque immunis ab erroris periculo. At verò si immunis Ecclesia est ab erroris periculo in illo disciplinæ capite, absoluta est omnis controversia, & homines è sectâ profligati. Quare paucula hæc verba, quibus auctoris confessio tam aperta, tam decretoria continetur, nos facilè adversùs prægrande ipsius volumen tuen-

tur ac deffendunt. Suâ ipse confessione induatur ac juguletur necesse est.

V I.

Refellitur illud à deffensore silentii obsequiosi *propositum, facti decisionem nihil esse preter decretum ad disciplinam pertinens, cui nulla fides interna debeatur.*

CUm *Ecclesia*, inquit ille scriptor, *leges aliquas fert de disciplinâ, id unum agitur, ut fiat id quod illa prescribit, non verò ut rem quampiam credamus sejunctam ab iis quæ fide cognoscimus &c. Et verò, si Ecclesia, v. g. damnaret has Ratramni voces ..... deberemus sanè damnare eas libri voces, quas damnaret Ecclesia, atque earum usum repudiare, sed non propterea deberemus credere voces eas, quâ ratione ab eo scriptore usurpantur ..... habere sensum hæreticum, & eum quo præsentia realis excluderetur, quem tamen Ecclesia in vocibus illis reperiret, proptereaque vocum earum usu interdiceret..... Quâ tandem Dialectica* p. 116. p. 117. p. 123.

regulâ ductus Illust. Cameracensis inde conficit ... Ergo cum Ecclesia Jansenii librum damnaverit, & hæreticum quinque propositionum sensum illi imputaverit, credere certò & absque erroris periculo debemus, hunc sensum hæreticum esse proprium ac nativum integri libri Janseniani sensum?

1. Ut illius argumenti vim rectè æstimemus, operæ pretium est eam transferre ad eum textum qui canone damnatur. Canonis anathema nihil habet veritatis & justitiæ, nisi quatenus decernitur adversùs textum suo proprio ac nativo sensu sumptum. Nullo sanè jure, nullo merito damnatus textus ille foret, qui non debuisset nisi sensu improprio, violento atque alieno damnari. Possent improprio atque alieno sensu damnari vel purissimi textus S. Athanasii, S. Augustini, S. Leonis ac Patrum cæterorum. Nullus denique textus est adeò purus, ut damnari non posit sumptus eo sensu quem non habet. Quare si potest Ecclesia canone damnare textum aliquem sumptum improprio atque alieno sensu, quem nimirum illa sensum proprium ac nativum esse existimat, ejusmodi damnationem injustam esse, canonem falsum esse necesse est. Quin & eo posito

canon ille puro huic textui contradicens, negat fidei dogma quod eo textu affirmatur, atque adeò canon est verbis ipsis hæreticus. Denique fidelis omnis, qui se humilem ac docilem præbebit, necessariò labetur in hæresim, dum & textûs damnati & canonis textui contradicentis sensum proprium bonâ fide ex ipsâ verborum vi interpretabitur. Quî tandem audet scriptor ille dicere, *nulla facti controversia de canonibus.... Ecclesia in canonibus contexendis errare non potest circa significatum verborum eorum quæ adhibet*, si privatus quilibet potest ejus judicio non assentiri, neque habere *animo certam hæreticitatem* textuum eorum qui ipsius canonibus damnantur ? Nonne manifestum est futuram tum aliquam *facti controversiam de canone*, si forte contigerit ut canon ille errore facti damnet aliquem textum propter sensum improprium atque alienum, quem illi textui immeritò tribuat ? Si verò ponitur *nullam esse facti controversiam de canonibus*, quæ nihil sunt præter textuum damnationes, necesse est ut Ecclesia sit immunis ab erroris periculo in damnandis illis textibus, quos canonibus suis dijudicat. Neque enim potest esse immunis ab erroris periculo in dijudicando atque æstimando

aliquo textu, nisi quatenùs eumdem absque erroris periculo interpretatur. Contra verò si nihil est, cur quisquam credere debeat textum canone damnatum tanquam hæreticum, *habere sensum hæreticum*, quem in eo canon damnat, credi prorsùs non potest, Ecclesiam in eo canone condendo esse ab omni erroris periculo sejunctam. Tum verò novator quisque canonem eluderet, atque ejus anathema rejiceret ad sensum alienum, quem nimirum defenderet errore facti contigisse, ut canon textui tribueret. Itaque canon omnis eò denique recideret, ut sensum quemdam damnare diceretur commentitium & alium à textûs damnati sensu. Tum verò ipsa fidei regula funditùs everteretur, quippe quæ admittentur tantum per simulationem, dum per vanam facti controversiam eluderetur.

2. Quid verò tandem ille scriptor opponit ad argumentationem ejusmodi & toties iteratam & tanti roboris? Nimirùm, inquit, unusquisque *deberet damnare eas* textûs *voces*, *quas* tum temporis *damnaret Ecclesia*, *atque earum usum repudiare*, *sed non propterea deberet credere voces eas*, *quâ ratione* in eo textu *usurpantur*, *habere sensum hæreticum*,

quem illis Ecclesia tribuit. Eo constituto, jam nemo unquam debebit credere hæreticitatem ullius textûs, qui canone damnatus sit, sumpti proprio ac nativo suo sensu. Satis esset externum Ecclesiæ ritum seu disciplinam sequi in verborum delectu, atque eas *damnare voces*, quas damnare ipsi collibuisset. Satis esset *earum vocum usum repudiare*. Quid verò fieret aliquo canone, si sumeret unusquisque illam, quæ per ejusmodi placita conceditur, potestatem damnandi voces, non tamen damnato proprio ac nativo vocum sensu, & *earum usum repudiandi*, ut se ad Ecclesiæ disciplinam accommodet, canonis tamen anathemate translato ac rejecto ad sensum improprium, violentum, alienum, commentitium?

3. Eritne qui dicat, Ecclesiam esse immunem ab erroris periculo in suorum canonum textibus, etiam ubi textus eos sensu improprio atque alieno sumit? Eritne qui dicat, esse eam immunem ab erroris periculo, etiam ubi errat? Quid esse potest minùs remotum ab errore, quàm ille judex, qui textum aliquem damnaret propter sensum hæreticum, qui in eo textu non esset, neque deprehenderet sensum catholicum, qui tamen verus ac legitimus textûs illius sensus

foret? Quamlibet scriptor ille dicat, Ecclesiæ voces in ipsius potestate esse positas. 1. Hoc falsò dicitur, Ecclesiam non se ultrò accommodare ad voces proprias assumendas, quibus significet illud ipsum dogma, quod transmittere cogitat. Scriptor ille nunquam assequetur, ut ostendat exemplum ullum, quo Ecclesia vim auctoritatis adhibuerit, ut ex merâ libidine à vulgari vocum usu discedens proprio earum sensui minùs proprium anteferret. 2. Permagnum discrimen est inter supremam auctoritatem in commutando vocum usu, nullâ certâ lege servatâ, & auctoritatem immunem ab erroris periculo in sermonis legibus servandis. Si posset Ecclesia textûs cujuspiam sensum improprium atque alienum sumere pro vero ac proprio, posset in illo suo errore adhibere supremam auctoritatem, atque à filiis suis postulare ut hanc suæ disciplinæ legem amplecterentur. Tum vero deberet unusquisque ipsius usum in loquendo sequi, *damnare eas voces quas ipsa damnaret, atque earum usum repudiare.* Verùm non modò tùm non esset immunis ab erroris periculo in vocibus usurpandis, sed earum usum non mutaret nisi quia erraret ipsa, & sensum falsum pro vero admitteret.

Quare si contendit *silentii obsequiosi defensor* fieri posse, ut Ecclesia canone aliquo vel decreto roboris ejusdem, sensum textûs improprium sumat pro sensu proprio, necesse est bonâ fide fateatur se prorsùs immeritò dixisse, *nullam esse facti controversiam de canonibus*, & *Ecclesiam in canonibus contexendis errare non posse circa significatum verborum eorum quæ adhibet.* Dicere enim contrà debuit, tantum esse jus, tantam Ecclesiæ auctoritatem in textus, ut hereticos faciat qui non sunt hæretici, ut malum ipsis sensum tribuat quem nunquam habuêre, atque id pro arbitrio & ex merâ auctoritate faciat, etiam per errorem suum, ita ut ille facti error hanc in voces significationis mutationem inducat. Ita fiet nimirum, ut canones omnes & decreta roboris ejusdem nihil sint aliud, præter locutionis quasdam mutationes per aliquem facti errorem inductas.

4. Si fit illa sensûs proprii in improprium mutatio per errorem facti, neque fideles illius admonentur, fieri non potest quin homines omnes in fidei normâ decipiantur. At contrà si admonet Ecclesia, nullus ergo est error facti, atque in illâ ipsâ mutatione ponitur esse Ec-

clesia immunis ab erroris periculo. Nam judex ille longè est à periculo erroris, qui vocum usum non mutat, nisi simul moneat eum sibi consultò mutandum videri, ne quis labatur in errorem.

5. Scriptor ille difficultatis ipsum caput non attingit, neque se eo sentit opprimi. Nam hinc quidem fatetur, Ecclesiam esse *verâ infallibilitate* præditam in iis quæ *ad disciplinam pertinent*, quæ in *externâ administratione & recto ordine* posita sunt. Aliundè verò nos probavimus Ecclesiam statuisse hanc legem, saltem tanquam rem disciplinæ in administratione & recto ordine positam, ut quisque juraret in verba formulę. Atqui vel ex illo scriptore confitente, prorsùs idem est præcipere ut juretur, & præcipere ut Janseniani textûs hæreticitas credatur. Falsum igitur est, judicium Ecclesiæ de illâ re quæ solius disciplinæ esse dicitur, non postulare internam facti persuasionem ac fidem. Fatetur ille scriptor hanc facti fidem internam seu persuasionem esse illud ipsum quod juratur. Jam verò Ecclesia ipsa est quæ jusjurandum postulat. Dicetne scriptor ille Ecclesiam præcipere ut fides hæc juretur, neque tamen fidem hanc seu persuasionem exigere? Eane verò esset pura *disciplina*, accurata

administratio, *rectus ordo*? Illudne velit Ecclesiam præcipere, ut manifestum perjurium concipiatur? Essetne verò tum ipsa pura, sancta, atque in judicando infallibilis? Quis neget ipsam esse, quæ persuasionem internam exigat, cum ipsa certè exigat, ut ea persuasio interposito jurejurando promittatur? Est igitur tam manifestum quàm quod maximè, Ecclesiam si modò jusjurandum exigit, ut jam est à nobis demonstratum, exigere quoque intimam illam & nunquam revocandam animi sententiam ac persuasionem. Igitur quamlibet scriptor ille prædicet, Ecclesiæ de eâ re judicium ad meram disciplinam pertinere, atque adeò nihil postulare præter obedientiam externam absque intimâ persuasione, nos respondemus judicium illud Ecclesiæ, omissâ disciplinæ voce, postulare jusjurandum de persuasione intimâ, atque adeò persuasionem hanc ipsam & fidem internam. Viderit ille sanè, num decretum ad meram externam disciplinam pertinens appellare etiamnum velit judicium illud, quo Ecclesia infallibilem auctoritatem adhibet, ut interposito jurejurando exigat persuasionem & quàm maximè internam & quàm minimè variandam.

V I I.

Respondetur ad ea, quæ silentitii obsequiosi deffensor *ait de textibus iis, de quibus Ecclesia non judicat, nisi quatenùs vulgò nota est mens illorum, à quibus conscripti sunt.*

SPerat ille scriptor elabi se posse, & tantam tot argumentorum vim declinare, dum nostra nobis verba sic opponit. *Illust. Cameracensis*, inquit, *ipse funditùs evertit illud unum quo tanquam fundamento suum systema nititur, dum fatetur fieri posse, ut Ecclesia falsis rumoribus decepta malè atque immeritò damnet eos textus, quos non singillatim sumptos cognovisset..... Est igitur manifestum non posse hunc præsulem cum aliquâ specie veri tribuere infallibilitatem illi, quemadmodum dicitur, Ecclesiæ judicio adversùs Jansenii librum, nisi hæc duo statuat. Primum est, Pontificem sive etiam si lubet, Ecclesiam non fuisse falsis rumoribus deceptam de Jansenii libro. Alterum est, eum librum accuratè*

p. 505. 507.

curatè cognitum fuisse singillatim ac nominatim sumptum, nullâ ratione habitâ mentis intimæ, quam auctor habuerit. Atqui neutrum horum deffendi potest &c.

Hæc etiam alibi verba pronunciat. *Quod verò Præsul ille confitetur Ecclesiam errare posse, dum simul & libri sensum & sensum auctoris dijudicat, ita pro causâ nostrâ facit, ut rem omnem conficiat, neque profectò satis apparet, quid ille tandem possit ad hanc argumentationem respondere.* FALLI POTEST ECCLESIA, CUM DE EO TOTO DIJUDICAT, QUOD EX SENSU AUCTORIS ET EX TEXTÛS AB AUCTORE SCRIPTI SENSU COALESCIT. *Id ipse totidem verbis habet. Atqui summus Pontifex, vel etiam si lubet, Ecclesia, in damnando Jansenii libro judicavit de toto coalescente ex sensu auctoris, & textûs ipsius sensu, ut apertissimè significant ea formulæ verba,* IN SENSU AB EODEM AUCTORE INTENTO. *Igitur ex iis quæ ab Illust. Cameracensi posita sunt, Ecclesia errare potuit in eo judicio, quod ille vult fuisse Ecclesiæ judicium adversùs Jansenium.* p. 525.

Vel hujus argumenti tanto plausu propositi exemplo patebit, quam temerè sibi scriptor ille & quam immeritò plaudere soleat.

1. Reponimus id quod Juliano reponebat S. Augustinus, simili arte sanctissimum Patrem ex ipsius verbis coarguere nitenti. *Agnosco, verba mea sunt, sed etiam ipse dignetur agnoscere superiùs cuncta quæ dicta sunt.* Quippe tùm agebatur non propria nostra, sed Bellarmini Cardinalis mens de Honorii textibus. Dixeramus ex mente eruditissimi Cardinalis *non fuisse de Honorii textu secundùm se sumpto absolutè & dogmaticè pronunciatum.* Et hæc nostra verba fuerant. *Cardinalis Bellarminus hoc voluit ...... sextam synodum non censuisse Epistolas Honorii hæreticas dici debere, si illarum textus per se absolutè, nullâ cujusvis alterius rei habitâ ratione spectaretur.* Et illud addideramus. *Igitur Bellarmini sententia est, Honorii textum ..... damnari non potuisse, nisi quatenùs non satis planus videbatur in exponendo fidei dogmate, neque satis accommodatus ad illam temporum rationem, cum præsertim is a quo scriptus ferebatur, studere crederetur Monothelitis, à quibus esset deceptus.* Et illud præterea. *Tantùm agitur an informatio de Honorii studio erga Monothelitas, à quibus ipse deceptus est, satis sit ut deteriorem in sensum accipiatur illius textus per se ambiguus, neque satis accuratè totam dog-*

De nat & Gar. cap. 67. n. 80.

Docum. tert. part. 2. p. 121. edit. latin.

Ibid. p. 119.

Ibid. p. 123.

Ibid. p. 125.

matis veritatem exhibens, an damnari textus ejusmodi debeat propter auctoris mentem qui hæreticis blandiri & hæresim fovere creditur. Deinde sic eramus de Baronio locuti. *Ait textum illum per se ambiguum, neque satis aptum ad explicandum fidei dogma à sextâ synodo acceptum esse eo sensu, qui damnari deberet; porrò eo sensu acceptum esse propter falsam informationem.* Et hæc subjunximus: *Audiuntur falsi testes, fides habetur aliqua falsis rumoribus, informationi falsæ; hinc statuitur de sensu auctoris personali. Jam ex eo qui existimatur esse sensus personalis, statuitur de sensu textûs ipsius incerti per se & ambigui. Quippe hac est mentis humanæ conditio, ut ab iis quæ pro certis habet, argumentando perveniat ad incerta & dubia. Quare in textibus ambiguis contrà evenire necesse est, quam in claris ac perspicuis. Nam ex sensu textûs perspicuo colligitur sensus personalis; at contrà ex sensu qui, jure an injuriâ, nihil interest, personalis esse creditur, colligi solet quis sit textûs ambigui sensus.* Tum ista: *Sæpius contigit, ut Ecclesia formulas oblatas ab iis hæreticis, quorum fraudulentam mentem artesque apprimè noverat, improbaret ac repudiaret, licet eas ipsas loquendi formulas non fuisset damnatura,*

Ib. p. 142.

Ib. p. 143.

Ib. p. 144.

si modò fuissent primùm oblata à Catholicis, quos nulla suspicio, hæreseos attigisset. Posteà Baronii verba quædam sic
Ib. p. 145. explicabamus : *personas cum scriptis personarum conjungit, atque ex his duobus veluti membris totum quoddam efficit; vult Ecclesiam falli posse cum de eo toto dijudicat, quod ex auctoris sensu & ex textûs ab auctore scripti sensu coalescit.* Ex quibus illud effeceramus, Honorii *controversiam illam constantem ex sensu textûs & ex auctoris sensu, ita ut textui per se ambiguo ignominiæ labes inuratur, propterea quod persuasum est auctoris malam esse mentem, malum animum, non esse juris controversiam, quippe quæ tota pendeat ex solo facto, tota ex eo dijudicetur.* Ruit protinùs objectio, si verba nostra bonâ fide perpendantur. In eo rerum statu quem nos posueramus, Ecclesia prorsùs non fallitur in dijudicando textu, quem scilicet *ambiguum* dumtaxat esse judicat, *neque satis accuratum.* Atque id quidem verè & meritò judicat. Si de eodem *secundùm se sumpto absolutè & dogmaticè, nullâ cujusvis alterius rei habitâ ratione* pronunciaret, *non censeret eum hæreticum dici debere.* Non errat Ecclesia nisi ex *falsâ informatione*, scilicet de *sensu auctoris personali.* Neque hic

e ullo *textu secundùm se sumpto absolutè & dogmaticè pronunciatur.* Ecclesia, nam terùm dicendum est, in eo rerum statu le quo jam agitur, perspicuè intelligit textum illum nihil habere quidem, nihil ponere, quod planè hæreticum censeri oporteat, sed judicat eum non ponere illa omnia, quæ poni oporteret ad sanam doctrinam apertè contra novatorum effugia deffendendam. Quare de textu secundum se sumpto rectè prorsùs judicat, neque *judicio* ipsius *dogmatico & absoluto* quidquam continetur, quod non deceat judicem immunem ab erroris periculo. Error ille ex *falsâ informatione* profectus, non cadit nisi in factum auctoris proprium ac merè personale, quo movetur ut ipsius operi ignominię notam inurat. Simul hæc duo judicia pronunciat, alterum *dogmaticum & absolutum*, quo declarat textum *secundùm se sumptum* nihil quidem omninò complecti quod apertè sit hæreticum, sed non tamen omnia complecti, quæ necessaria forent ad captiosa & fallacia Novatorum commenta refellenda. Alterum judicium est merè personale ortum ex informatione, quo judicio fit ut textui non satis accurato auctoris illius, qui hęreticus esse vulgò creditur, ignominiæ labes adhæreat.

2. Quid sit igitur illâ palmariâ scriptoris argumentatione? Illudne verò auderet dicere, Jansenii textum in iis omnibus quæ ponit, quæ clarè & distinctè complectitur, visum esse Ecclesiæ sejunctum ab hæresi? Nunquam *censuisse* Ecclesiam, eum *hæreticum dici debere*? Id dumtaxat existimasse, eum esse *ambiguum*, *neque satis accuratum* propter captiosas & fallaces hominum è sectâ molitiones? Denique *falsâ informatione* de mente Jansenii propriâ & personali adductam esse Ecclesiam, ut illum textum ignominiâ notaret, propter ipsum auctorem qui hæreticus esse crederetur, quamvis eum textum *secundùm se sumptum* damnare nunquam voluerit *judicio dogmatico & absoluto*? Nonne scriptor ille videt, Jansenii quidem personam nunquam fuisse damnatam, nunquam de ejus personâ inquisitum dum viveret, nunquam de ejus memoriâ postquam fato functus est? Eum in pace ac communione Ecclesiæ mortem obiisse, eum de suo libro sanctæ Sedis judicium esse voluisse, & præcepisse ne unquam summi Pontificis injussu prodiret? Deindè verò nonne intelligit textum longiorem ab Ecclesiâ damnatum esse non minùs quam breviorem textum quinque propositio-

num, & quidem in ſenſu nativo ac proprio, in *ipſomet obvio ſenſu quem in libro Janſenii habent*, ut poſtremâ Conſtitutione declaratur? Hic eſt ſanè proprius textûs *ſecundùm ſe ſumpti* ſenſus. Hoc eſt ſanè *judicium dogmaticum & abſolutum*, quod planè ſejunctum eſt ab auctoris mente, neque ab eâ pendet. Idne etiam ſcriptor ille non meminit, poſtremâ Conſtitutione præcipi, ut quiſque *interiùs judicet*, atque interpoſito ſolemni jurejurando confirmet *Janſenii libro doctrinam hæreticam contineri?* Quem non pudeat dicere, Eccleſiam præcipere ut jurejurando affirmetur *doctrinam hæreticam* aliquo *libro contineri*, ſi eadem Eccleſia *non cenſet* eum librum *hæreticum dici debere*, ſi eum putat eſſe alienum ab hæreſi in iis omnibus quæ ponit, quæ clarè & diſtinctè complectitur, ſi eum dumtaxat credit eſſe *ambiguum*, *neque ſatis accuratum*, propter varia novatorum effugia, denique ſi eum exiſtimat *ſecundum ſe ſumptum* non poſſe à ſe damnari tamquam hæreticum, *judicio dogmatico & abſoluto?* Poſſetne verò Eccleſia non manifeſtæ tyrannidis incuſari, dum extorqueret jusjurandum, quo affirmaretur eo textu *doctrinam hæreticam contineri*, ſi ipſa *non cenſeret* eum *hære-*

ticum dici debere ? Nonne jusjurandum ejusmodi perjurium foret & quidem manifestum ? Quid esset magis invidiosum, magis impium, quam exigere jusjurandum, quo affirmetur hæreticitas textûs illius, qui *secundùm se sumptus* maximè purus sit, de quo nulla unquam disquisitio fuerit, cui labes inusta sit ignominiæ propter auctoris mentem, non quæ sit, sed quæ esse credatur, licet ad eam certò cognoscendam nulla unquam legitima quæstio habita fuerit? Atque hæc sunt quæ *silentii obsequiosi* deffensor sanctæ Sedi atque adeò ipsi Ecclesiæ tribuere non veretur, ut scilicet nobis opponat aliquid aliquando, quod aliquam veri speciem habere videatur.

3. Frustrà verò scriptor ille jactat,
p. 525. *ipsis formulæ verbis*, IN SENSU AB EODEM AUCTORE INTENTO, *manifestè significari* judicium illud, quod non sit ita dogmaticum, ut ad textum *secundùm se sumptum* pertineat, & ab auctoris mente sejunctum. Hocce commentum quam inane sit, facilè intelligitur. 1. Ambiguum ejusmodi tam futile jam ab annis 50. & ampliùs sublatum est publicis sanctæ Sedis & Cleri Gallicani monumentis, ex quibus patet agi tantùm de illo nativo atque obvio sensu, quem suo textu au-

ctor explicavit. Ita dicere solemus Ciceronis & Virgilii sensum, eum quem scriptorum illorum verba exhibent ac præ se ferunt. 2. Jam ab annis ampliùs 50. scriptores è sectâ præcipui totius sectæ nomine contendunt hujus facti *judicium penes oculos* esse. Rectè dicitur textûs alicujus *judicium* esse *penes oculos* ejus, qui textum illum legit, sed nemo unquam dixerit *judicium* de mente auctoris intimâ seu consilio ac propriâ voluntate, esse *penes* lectoris *oculos*. Igitur homines è secta jam ab annis ampliùs 50 cum Ecclesiâ conspirant, ut illud tam ineptum ambiguum omittatur, neque est quidquam magis invidiosum, quam ad illud redire, ut eludantur nimirùm argumentationes eæ, quibus nihil omninò verè potest opponi. Quis jam non jure miretur hunc sectæ patronum eò redactum esse, ut dicat Ecclesiam & quinque Constitutionibus edendis, & jurejurando extorquendo id unum agere, ut omnes fateantur Jansenii mentem intimam, & arcanum ipsius animi consilium hæreticum fuisse? Si posset adhuc bona fides hoc pati, ut hominibus è sectâ scrupuli quidpiam eâ de re superesset, deberent nimirum summâ reverentiâ ac demissione postulare ab Ec-

Epist. 18. ad provinc.

Ecclesiâ; num ipsius consilium fuerit de Jansenii textu *judicium* ferre *dogmaticum & absolutum*, quo textus ille *secundùm se sumptus* censeretur *hæreticus dici debere*, num verò id tantùm voluerit, illi textui existimationem adimere, & notam aliquam inurere tanquam *ambiguo, neque satis accurato* propter auctoris mentem propriam, quam ex aliquâ *informatione* malam ac perversam esse credidit. Tum verò non dubitaret Ecclesia hominibus è secta respondere : Textum ipsum non propter auctoris mentem aut consilium censurâ notamus; nam de Jansenii quidem personâ nunquam à nobis habita ulla quæstio fuit, neque nostrum est jusjurandum postulare de mente seu intimâ cogitatione hominis mortui. Sed nimirum ipsum textum secundùm se sumptum *judicio dogmatico & absoluto* damnamus, *ipsomet obvio sensu quem in libro Jansenii habent.* Ipsa per se constitutio loquitur, & rem omnem conficit. *Jam responsum est, intellige & tace.* Suntne homines è sectâ sic affecti animo & parati, ut jurent in hæreticitatem textûs *secundùm se sumpti*, ubi denunciatum fuerit nullo pacto hic agi de intimâ cogitatione seu personali mente auctoris? Atqui nos hoc audemus

S. Aug. oper. imperf. l. 2. num. 196.

ipsis polliceri ac spondere, Ecclesiam nullâ unquam factâ mentione de auctoris mente intimâ, id habituram satis, si textûs *secundùm se sumpti* hæreticitatem crediderint.

4. Quamlibet vim faciat recens ille scriptor in his verbis, *Falli potest Ecclesia, cum de eo toto dijudicat, quod ex sensu auctoris, & ex textûs ab auctore scripti sensu coalescit*, plena res est offensionis atque invidiæ, si verba nostra mutila exhibeantur; postulat æquitas, ut tota eorum series accipiatur. Judicium illud *de eo toto quod ex sensu auctoris, & ex textûs ab auctore scripti sensu coalescit*, non est *judicium dogmaticum & absolutum* de textu *secundùm se sumpto*. Hoc judicium est de ipsâ personâ, sic tamen ut veluti ex obliquo recidat in ipsius textum; tum enim Ecclesia faciendum sibi esse putat, ut omnem existimationem adimat ejus textui *non satis accurato* adversùs Novatores, quia vidisse sibi videtur eum auctorem esse aut Novatorem aut certè fautorem novitatis. Tum verò ignominia quædam est aspersa ex obliquo, & veluti repercussa, non directa & absoluta textûs ipsius censura. Quænam obsecro potest esse vera & æqua comparatio inter eum textum, quem

secundùm se sumptum Ecclesia judicat esse duntaxat *ambiguum*, quem *non censet hæreticum dici debere*, quem tantùm repudiat, quem honore privat tanquam *non satis accuratum* adversùs Novatorum effugia, tanquam invidiosum ratione sui auctoris, cujus mala mens perspecta est, & eum textum qui *censetur hæreticus dici* debere, & quidem tot Constitutionibus, quas Catholici omnes tanto consensu excepere ? Præterea verò vult Ecclesia, damnari sensum proprium ac nativum libri, *ipsomet obvio sensu quem in libro Jansenii habent* ; agitur porrò de eo sensu, cujus *judicium penes oculos* lectoris esse nullâ auctoris habitâ ratione, vel ipsi homines è sectâ profitentur. Adde quod præcipit Ecclesia, ut quisque *interiùs judicet eo libro doctrinam hæreticam contineri*, nullâ unquam institutâ quæstione de mente illius auctoris à quo conscriptus est. Denique quod sæpiùs dici oportuit, jubet Ecclesia jusjurandum concipi, non de intimâ auctoris cogitatione, de quâ non posset jusjurandum ullum jurari nisi vanum, temerarium & Sanctissimo Dei nomine indignum, verùm de *ipsomet obvio sensu quem in libro Jansenii habent*, & qui legenti suâ sponte passim occurit. Ubi paulò subtiliùs

objectio ista tractatur, patet continuò quantâ confidentiâ scriptor ille sibi palmam ac triumphum adjudicet, tum maximè cum ne effugiendi quidem locum ullum habet, nisi ad ea se conferat, quæ nisi absurdè, ineptè, invidiosè dici non possunt. Atque ex hoc uno exemplo facile est statuere de locis reliquis, quibus ille scriptor inanes argutias, & confidentiam ineptissimam adhibet ad fucum imperitis faciendum.

Clausula hujus tertiæ Partis.

Vidimus Arnaldum, Vallonium, atque alios præcipuos è sectâ scriptores illud ultrò confiteri, Ecclesiam esse immunem ab erroris periculo in iis factis dijudicandis, quæ posita sunt in textibus auctorum traditionis testium, *ex quibus necessariò elicitur alicujus doctrinæ veritas.*

Vidimus ab ipso *silentii obsequiosi deffensore* Ecclesiam agnosci immunem ab erroris periculo in dijudicandis textibus brevioribus, quales sunt quinque propositiones, atque *idem propemodùm de textu longiore dici posse, quod de breviore dicitur*, idem de *generalibus Ecclesiæ decretis*, quod de *canonibus.*

Vidimus id fuisse ab illo Atrebatensis censuræ delatore planè demonstratum, non posse Ecclesiam esse immunem ab erroris periculo in suorum symbolorum canonumque textibus, nisi sit pariter in Jansenii textu dijudicando posita extra omne errandi periculum.

Vidimus doctrinam hanc apud catholicos adeò fundamenti cujusdam locum obtinere, ut Illust. S. Pontii Episcopus facere non potuerit, quin eam apertè traderet, etiam cum de eâdem oppugnandâ cogitabat. Tanta nimirum est vis veritatis, quam ipsa præjudicia ex animo ac veluti ex abundantiâ cordis erumpere non vetant.

Vidimus ex Theologi Leodiensis confessione, *Ecclesiam esse censendam infallibilem in detegendo sensu istorum Patrum ..... v. g S. Cyrilli de unitate personæ in Christo*, atque eam *saltem egere speciali auxilio, ne decipiat fideles in iis* factis, *quæ posteriora sunt Ascensione Christi*. Jam verò manifestum est *speciale auxilium*, quod Ecclesiæ promissionum vi ac fide tribuitur, *ne decipiat fideles* in factis ejusmodi, veram esse infallibilitatem, quam in his factis minimè revelatis dijudicandis accipit.

Vidimus & illud affirmari à *silentii ob-*

equiosi deffensore, nimirum *Spiritum sanctum, qui in Ecclesiâ consistit, & commoratur, eam regere absque ullo erroris periculo in iis quæ ad disciplinam pertinent, quæque illa sine ullâ revelatione ordinat & componit.* Aliunde verò fatetur *vocum usum atque electionem pertinere ad disciplinam.* Igitur & illud fateatur necesse est, *Spiritum sanctum* quantùm ad textus dogmaticos attinet, *Ecclesiam regere absque ullo erroris periculo in vocum usu atque electione.* Nonne vel ex his manifestum esse debet, hunc scriptorem si sibi consentaneus esse velit, negare jam non posse, *Spiritum sanctum Ecclesiam regere absque ullo erroris periculo in vocum usu atque electione*, & earum quæ probandæ sunt in textu S. Augustini, & illarum quæ in Jansenii textu damnandæ?

Vidimus, eodem scriptore confitente, infallibilitatem hanc pertinere etiam ad omnia *generalia Ecclesiæ decreta*, ex quibus *nihil unquam oriatur*, *quo lædi fides aut mores violari possint.* Atqui *nihil* est sanè, *quo* magis *lædi fides aut mores violari possint*, quam formula quædam Pelagiana, imò quam ea formula, in cujus verba jusjurandum vanum Ecclesia à filiis suis postularet de *facto momenti nul-*

lius, de controversiâ quâdam criticæ nihil prorsùs faciente ad juris controversiam, & quidem contra firmam ac præsentem animi sententiam, vel certè contra dubitationem insuperabilem. *Nemo unquam*, exclamat ille scriptor, *quamlibet se torqueat, ut formulæ fulcimen aliquod & firmamentum subministret, nullum reperiet aliud, quam infallibilitatem Ecclesiæ.* Atqui tamen omninò necesse est *fulcimen* illud *ac firmamentum reperiri*, quod si desit, sequitur formulam esse impiam & tyrannicam, & Ecclesiam, quæ illam jubet obsignari, non *regi à Spiritu sancto absque omni periculo erroris* in illo *generali decreto, quo lædi fides aut mores violari possunt.* Enimverò quid est magis contrarium *fidei*, quam postulare v. g. ab Arnaldo vel Quesnellio, ut interposito jurejurando affirment eum librum esse hæreticum, qui ipsis quidem videtur æquè purus esse & orthodoxus, ac ipsius S. Augustini textus? Quid est magis contrarium rectis *moribus*, quam si quis juret se certò credere id, quod manifestè patet eum omninò credere non posse, quia vel in partem oppositam firmâ animi sententiâ propendet, vel insuperabili certè dubitatione detinetur? Quid est quod magis repugnet bonis

moribus

moribus & puræ disciplinæ, quam jusjurandum vanum concipere de *facto momenti nullius*, ad approbandam sententiam eam, quam, cum non sit nisi probabiliter vera, probabiliter quoque falsam esse necesse sit? Atqui tamen, quod & fatetur noster ille adversarius, prorsùs oportet, ut *Spiritus sanctus Ecclesiam regat absque ullo erroris periculo in vocum usu atque electione*, siquidem *vocum usus atque electio pertinet ad disciplinam*: prorsùs oportet, ut *Spiritus sanctus eam regat absque ullo erroris periculo in iis, quæ ad disciplinam pertinent, quæque illa sine ullâ revelatione ordinat & componit.* Ecclesia sanè in dijudicando num Jansenii textus orthodoxus, num hæreticus foret, de *vocum usu atque electione* pronunciavit. Sanè decrevit hujus textûs voces esse hæreticas & pestilentes. Sanè approbavit voces illi textui contradicentes. Hæc est sanè *vocum electio*, in quâ ipsâ electione fatetur noster adversarius *Ecclesiam à Spiritu sancto absque ullo erroris periculo regi.*

Ex eâdem illâ adversarii nostri confessione sequitur, *Spiritum sanctum rexisse Ecclesiam absque ullo erroris periculo*, non modò ad hæreticitatem hujus textûs denunciandam, sed etiam ad contexen-

dam formulam, atque imperandum illius jusjurandum. Pertinet saltem ad *disciplinam*, & quidem vel maximè, contexere formulam, quâ textus ille, qui plurimos fautores ac patronos habet, damnetur tanquam hæreticus ac pestilens. Oportet igitur, ut in eâ formulâ contexendâ *Spiritus sanctus Ecclesiam rexerit absque ullo erroris periculo*. Oportet ut Ecclesia non exigat jusjurandum de *facto momenti nullius*; Id enim si faceret, sanctum & terribile Dei nomen assumeret in vanum. Oportet ut Ecclesia non postulet ejusmodi jusjurandum in sententiam eam quæ sit nonnisi probabiliter vera, atque adeò quam probabiliter quoque falsam esse necesse sit. Tum enim illud jusjurandum & vanum esset & temerarium, quippe in eam sententiam, quæ esset fortasse falsa, ferretur. Denique oportet, ut Ecclesia quæ fidem exigit internam, certam, nunquam revocandam, sic existimet suâ solâ auctoritate errori non obnoxiâ contineri argumentum seu motivum certum, hoc est non obnoxium errori, quo motivo nos ad certò credendum impellat. Sin secùs, tum exigeret à nobis Ecclesia, ut unusquisque nostrum persuasum haberet se non posse ab ipsâ decipi, quamvis unus-

quiſque noſtrum ſciret ipſam eſſe eam, quæ nos in illâ re decipere poſſit. Id verò eſt ejuſmodi, ut nunquam permitti queat à *Spiritu ſancto, qui Eccleſiam regit abſque ullo erroris periculo in iis quæ ad diſciplinam pertinent.* Eſt igitur exiſtimandum, Eccleſiam perſpicere quantùm illud quod factum vocatur, faciat ad juris controverſiam, & cum eâ connexum ſit; exiſtimandum eſt eam jusjurandum poſtulare in causâ & neceſſitate graviſſimâ, nec non ſuo jure uti cum fidem à nobis exigit certiſſimam & minimè revocandam, atque adeò talem, quæ unumquemque noſtrûm præſtet immunem ab omni erroris periculo. Atque hæc eſt infallibilis directio Spiritûs ſancti.

PARS QUARTA.

Quâ demonstratur adductis paucis quibusdam factis expeditis ac manifestis, traditionem pro nobis omninò facere.

POstquam ostendimus *obsequiosi silentii* deffensorem Ecclesiæ tribuere infallibilitatem, & eam quidem promissam, in textibus *symbolorum & canonum*, atque etiam *decretorum generalium*, imò & in omnibus iis quæ ad *disciplinam* pertinent, non jam necesse habemus subtiliùs de traditione disputare, siquidem ille scriptor ea ponit ex quibus pateat traditionem esse iis quæ postulamus omnibus mirè consentientem. Quid enim est tandem quod nos postulamus? Nimirum ut Ecclesia dicatur esse inmunis ab erroris periculo, vel in suis *decretis generalibus*, quibus longiores textus dijudicantur, non minùs quam in suis canonibus, quibus dijudicantur textus breviores, vel in *usu vocum*, quoniam ejusmodi quæstiones pertinent saltem ad dis-

iplinam. Postulamus nimirum, ut in-
illibilitas illa promissa in rebus ad *disci-
linam*, ad *externam administrationem*
tque ad *rectum ordinem* spectantibus,
on sinat Ecclesiam jusjurandum vanum
xigere de *facto momenti nullius*, & fi-
lem certam exigere nixam eâ tantùm
auctoritate quæ obnoxia sit errori, atque
adeò incerta. Ubi semel ipsis adversarii
nostri verbis constituta est quoad res has
omnes infallibilitas promissa, nostrum
jam non est quidquam reponere ad ea
quæ nobis opponit desumpta ex tradi-
tione. Facilè libris omnibus carere pos-
sumus, atque eo quod nobis ultrò lar-
gitur, esse contenti. Si tantopere jacta-
ta illa traditio nihil facit adversùs ea quæ
adversarius noster confitetur, eadem no-
bis pariter nocere non potest, aut nos
habere sollicitos. Si verò eâ traditione
labefactatur infallibilitas promissa in *sym-
bolorum & canonum*, in *decretorum ge-
neralium* textibus, in ipsâ *disciplinâ*,
non minùs contra nostrum adversarium
quam contra nos facit, & tam illius in-
terest quam nostrâ, ipsam sic interpreta-
ri, ut intra fines legitimos contineatur.
Quare vel rigidissimæ disceptationis in-
stituta non postulant, ut ad illam quam
adversarius noster jactat traditionem quid-

quam respondeamus. Ipsa per se sine ullo respondendi labore concidit, siquidem vel ad nos impugnandos non pertinet, si auctori suo non contradicit, vel si contradicit, ipsum oportet non minùs nostram quàm suam causam defendere. Sed nos quidem facimus non inviti, ut etiam plusquam satis est Ecclesiæ Dei serviamus, atque omnia sectæ præcludamus effugia, quæ speciem aliquam habeant. Eo consilio traditionem palmariam exhibebimus, quâ manifestè pateat, quàm inanis sit, & commentitia ea quæ nobis opponitur traditio.

Neque verò nos fugit, si scriptorem hunc per singula loca vagantem persequi velimus, fore ut nobis elaberetur dum in illis locis discutiendis diutiùs moraremur, quod ne facere quidem sine summo lectorum ferè omnium tædio possemus. Sed nimirum huic incommodo facilè occurremus, si pauca quædam & ea præcipua traditionis facta perpenderimus, quibus discussis necesse est traditionem universam consentire, ita ut nullus posteà supersit hominibus è sectâ contendendi aut litigandi locus.

I.

De Synodo Ariminensi.

FUit sanè synodus Ariminensis frequentior, quàm pleraque ex iis Conciliis quæ habentur œcumenica, quippe quæ Episcopis admodùm quadringentis vel quingentis constaret. Eo cœtu, cujus primordia fuerant ad sanæ doctrinæ deffensionem accommodata, duo quædam deindè multùm perniciosa decreta sunt, primum ut reticeretur vox, *consubstantialis.* Alterum fuit, ut diceretur *filium Dei non esse creaturam, ut sunt cætera creaturæ.* His nimirum duobus & textus egregius repudiabatur, & textus pestilens subjiciebatur, jubebaturque esse norma fidei. Erraverunt illi omnes Episcopi, & dum textum necessarium omiserunt, & dum admiserunt pestilentem. Jam verò, ut à nobis demonstratum est, error eorum omnis in eo quod homines è secta factum vocare amant, versabatur. Illi Episcopi, *Ariminensibus dolis irretiti ..... contestabantur corpus Domini ...... se nihil mali in* eo quod gessenrant *suspicatos.* Id de se ipsi verè ac sincerè prædicabant. Et verò S. Ambro-

fius, S. Hieronymus, S. Augustinus in eo consentiunt, ut agnoscant illos Episcopos errore aliquo de solâ significatione vocum ita esse lapsos, ut nunquam hæreticum sensum fuerint amplexi. Hic ipse est, ut iterum dicamus, quem errorem facti ab omni juris errore sejunctum homines è sectâ nominant. Non potest sine summâ impudentiâ rejici trium horum patrum consensus cum ipsis Ariminensibus Episcopis conspirans ad ipsorum doctrinæ puritatem atque integritatem contestandam.

His constitutis, homines è sectâ, quamlibet argutè se versent, numquam efficient, ut obscurentur ea quæ ex hoc percelebri traditionis facto manifestè consequuntur.

1. Nullus jam locus esse potest commemorandæ infallibilitatis cujusdam naturalis, quæ solâ textuum evidentiâ nitatur. Habemus hic quadringentos vel quingentos Episcopos, qui in textibus duobus vehementer errant ac falluntur. Alterum repudiant tanquam inutilem, qui tamen Concilii Nicæni Patribus omninò necessarius visus fuerat. Alterum approbant, qui tamen est vel manifestè hæreticus, vel certè captiosus & fallax. S. Ambrosium audiamus. *Audierunt ex-*

go, & *crediderunt*, *primo decepti sono; ac velut aves, intenti ad escam fidei, extentum sibi laqueum non caverunt. Ita dum fidem sequuntur, hamum nefandæ fraudis attrectaverunt.* Jam S. Hieronymus. *Nemo*, inquit, *venenum insertum putabat ...... concurrebant Episcopi, qui Ariminensibus dolis irretiti sine conscientiâ hæretici ferebantur, contestantes corpus Domini, & quidquid in Ecclesiâ sanctum est, se nihil mali in suâ fide suspicatos*, hoc est in eâ fidei formulâ & professione quam approbaverant. Denique S. Augustinus sic ait : *hoc est illud*, consubstantiale, *quod ..... minùs quam oportuit intellectum .... multis paucorum fraude deceptis &c.* Eritne etiam qui dicere jam audeat, quod ab aliquibus dictum est, in *horrendum quemdam pyrrhonismum* incidere, quisquis hoc defendat, fieri posse ut Ecclesia si sibi ipsi relinquatur, labatur errore facti de propriâ significatione textuum eorum, quibus constant formulæ ab ipsâ delectæ ad fidem nostram dirigendam ? Illi quadringenti vel quingenti Episcopi carebantne oculis ? erantne insani ac deliri, aut digni qui domibus concluderentur ? S. Ambrosius, S. Hieronymus, S. Augustinus inciderantne in *horrendum quemdam pyrrhonismum?*

Defid. l. 3. c.16.n.130.

Contr. Lucif.

Contr. Maxim. l. 2.c.14.n.3.

Quid sit igitur illâ infallibilitate naturali, si Deus non adjungat id quod *obsequiosi silentii deffensor* fatetur, *auxilium speciale quod promissum est* ..... ad eam quâ pastorum corpus præditum est, *naturalem intelligentiam ac prudentiam*?

2. Commemorari jam non potest Ecclesiæ jus in suo sermone mutando, etiam cum illius mutationis non admonet. Id si poneretur, quod profectò falsum est, potuissent Episcopi quadringenti vel quingenti pro suo jure mutare Arimini locutionem eam, quam trecenti decem & octo Nicææ symbolo intexuerant. Atqui tamen perspicitis hanc sermonis mutationem, etiam quam nulla doctrinæ mutatio consequatur, videri toti Ecclesiæ pestilentem. Subreptitiam illam mutationem omnes detestantur, eamdem ipsi illi quadringenti vel quingenti Episcopi detestari demisso animo coguntur. Si potuisset Ecclesia pro suo jure sermonem suum immutare, neque tamen monere, dixissent illi Episcopi continuò. (Nos quidem nihil aliud nisi locutionem mutavimus.) Quis verò jus habuisset mutationis illius improbandæ aut refellendæ? Ubi agitur tantùm de eâ locutione, cujus mutandæ potestas sit penes Ecclesiam, nonne quadringenti vel

quingenti Episcopi Ariminenses Nicæni trecentis decem & octo præstare debent?

3. Exclamat S. Hieronymus *ingemuit totus orbis, & Arianum se esse miratus est* ..... *periclitabatur navicula Apostolorum, urgebant venti, fluctibus latera tundebantur; nihil jam supererat spei; Dominus excitatur, imperat tempestati.* Nimirùm Dominus *excitatur*, suarum promissionum memor. Sed quare tandem *nihil jam supererat spei?* Nimirùm quia *nomine unitatis & fidei infidelitas scripta est*, ut idem Hieronymus testatur; nimirum quia, ut sanctus Ambrosius affirmat, Ariminensis illa formula *venenum habet, mortem affert.* Cum summus Pontifex Liberius excepit tres delegatos ab Episcopis Orientalibus septem & sexaginta, voluit ut *omnes synodi Ariminensis blasphemias anathemate damnarent.* Tanta erat hujus synodi apud Catholicos omnes infamia. Quippe ut Ecclesia se à culpâ liberaret, synodum ipsam reprobabat ac diffitebatur, eam damnabat, ejus *blasphemias anathemate damnari* jubebat, cavebatque diligenter, ne unquam se fideles idoneam existimarent, quæ *blasphemias* ejusmodi proferret, hoc est, quæ posset unquam hac ratione in errorem

Cont. Lucif.

De fid. l. 3. c. 16. n. 131

aliquem de textibus dogmaticis induci. At si verè diceretur, orthodoxiam vel hæreticitatem textûs cujuspiam omni revelatione posterioris nihil esse præter *merum factum & quidem momenti nullius*, quod homines è sectâ prædicant, facilè omninò potuisset synodus Ariminensis deffendi, sic ut quicumque eam damnare audebant, nihil haberent quod reponerent, ac pudore suffunderentur. Nam in juris quidem controversiâ Episcopi non peccaverant. Ipsi affirmabant *contestantes corpus Domini .... se nihil mali ... suspicatos*. Hoc verò in dubium revocari sanctorum Ambrosii, Hieronymi, Augustini auctoritas non patitur. Deinde error ipsis oblatus non pertinebat nisi ad *factum momenti nullius*, ut loqui amant homines è sectâ. Atque hoc errore *momenti nullius*, nihil nisi locutionem mutaverant, quam quidem poterant pro suo jure mutare. Quid habet mutatio tam levis, tam promiscua, cur tanti clamores excitentur ? Quid esset magis ineptum aut ridiculum, quàm illud, *ingemuit totus orbis, & se Arianum esse miratus est*, propter locutionis quamdam mutationem sic inductam ab Ecclesiâ, ut nihil de purâ contra hæresim Arianam doctrinâ mutaretur ? Quid ma-

gis absurdum, quàm illa deploratio: *Periclitabatur navicula Apostolorum, urgebant venti, fluctibus latera tundebantur, nihil jam supererat spei* ? Quid attinet tantas tragœdias agere, diceret aliquis eo tempore sectæ placita secutus, quorsùm illi gemitus & querelæ ? Nulla est nisi *meri facti* controversia, & ea quidem *momenti nullius*. Recidunt omnia denique ad locutionem aliquam mutatam, sic ut verbis aliis eadem doctrina significetur. Quid verò interest errare Ecclesiam in eo facto, quod nihil prorsùs facit ad fidem, cum & illo errore fides non lædatur, & ridiculum sit commentum, factum aliquod à jure sejungi non posse? Quid sibi vult S. Ambrosius, cum in novam illam locutionem his verbis invehitur, *venenum habet, mortem affert*? Quâ religione Liberius summus Pontifex flagitat, ut Episcopi septem & sexaginta, qui delegatos ad ipsum miserant, *omnes synodi Ariminensis blasphemias anathemate damnent*? Locutionis mutatio, & ea quidem inducta tam frequentis Concilii consensu, & auctoritate, *venenum habet* nullum, & *mortem afferre* non potest. Non *blasphemat* Ecclesia, cum locutionem dumtaxat mutat. Denique istæ omnes & sanctorum Patrum & Apo-

ſtolicæ Sedis ſententiæ, quæ per omnes ætates à Catholicis tantâ reverentiâ ſuſceptę ſunt; forent exaggeratę quędam & abſurdę declamationes; ſi verè dici poſſet id quòd ab hominibus è ſectâ jactatur. Quod ſi valeret, ita planè foret argumentandum. (Eccleſia non minùs poterat Arimini pro ſuo jure locutionem mutare de divinitate Verbi, quàm potuit hac noſtrâ ætate locutionem mutare de gratiâ Chriſti adversùs Janſenii librum. Utrobique *factum* quoddam eſt, & id quidem *momenti nullius*, eſt mutatio quædam locutionis, quæ non eſt ſic annexa dogmati, ut ab eo ſejungi non poſſit. Fruſtrà verò quiſpiam dixerit, Eccleſiam non eſſe locutam Arimini. Imò verò potiori jure dicenda eſt Arimini locuta eſſe quàm Nicææ, ſiquidem etiam multò plurium Epiſcoporum ore locuta eſt. Cur Eccleſia per tot ſæcula Concilium iſtud agnoſcere & ſuum habere noluerit, cauſa hæc una eſt, quod ſcilicet illud erraverit in dogmatico textu dijudicando. Sed quid refert, quod eo errore lapſum ſit in *facto momenti nullius*, cum divinæ promiſſiones Eccleſiam univerſam ab ejuſmodi errore non præſtent immunem? Quid refert quod Eccleſia ſuo jure uſa ſit in locutione mutandâ?)

Hoc nimirum ipsum est, quod dici de Concilio Ariminensi oporteret, si valeret id quod homines è sectâ totius suæ doctrinæ caput & quasi fundamentum esse voluerunt. Hac ipsâ ratione deberent emendari & sententiæ & verba sanctorum Patrum, Sedis Apostolicæ ac universæ traditionis. Illas verò sectę sententias, illa verba, sancti Patres, Sedes Apostolica, universa sæculorum omnium traditio summo consensu repudiant ac detestantur. Igitur sæculis omnibus sic est existimatum, facti controversiam longè plurimùm facere ad controversiam juris in Ariminensi decreto, atque alteram alteri tam rectè esse connexam, quàm necesse est voces esse naturâ suâ cum eo quem significant sensu connexas & quasi colligatas. Sæculis omnibus pronunciatum est, eò rem devenisse, ut *navicula Apostolorum . . . . . nihil jam superesset spei*, nisi *Dominus* promissionum suarum memor fuisset *excitatus, & imperasset tempestati.* Atquè his sanctorum Patrum & Sedis Apostolicæ verbis, quę sęculis omnibus iterata sunt, ostenditur manifestè traditio constans de summâ Ecclesiæ in textibus dijudicandis auctoritate. Fuit hæc una & consentiens sæculorum omnium fides,

promiſsiones divinas non pati, ut Eccleſiâ univerſa labatur unquam eo errore, quem homines è ſectâ vocant errorem in *facto* aliquo *momenti nullius*. Poterit ſanè *obſequioſi ſilentii* deffenſor de quibuſdam ad ſynodum Ariminenſem pertinentibus argutè & ſubtiliter diſputare, ſed nihil unquam poterit adversùs hanc manifeſtam ſæculorum omnium traditionem clarum diſtinctumque proferre.

I I.

De Concilio Calchedonenſi in causâ Theodoreti.

THeodoretus ille doctrinâ non minùs quam pietate præſtans ad Patres Calchedonenſes octavâ Concilii actione ſe contulit, ab iis poſtulans ut Sedi ſuæ redderetur. Et Patres quidem ſic videntur animo parati fuiſſe, ut ipſum ultrò Sedi ſuæ redderent, *dummodò Neſtorium anathemate damnaret*. Dixit Theodoretus ſe libellos ſupplices & Imperatori & S. Leonis legatis obtuliſſe. *Ut*, inquit, *ſicut ſapio, cognoſcatis. Reverendiſſimi Epiſcopi clamaverunt: Nihil relegi volumus: modò anathematiſa Neſtorium. Theodoretus reverendiſſimus Epiſcopus dixit:* *Ego*

Concil. Chalced. act. 8. tom. 4. p. 620. & ſeq.

Ego per Dei gratiam ab orthodoxis sum nutritus & orthodoxè sum edoctus, & orthodoxè prædicavi: & non solum Nestorium & Eutychem, sed & omnem hominem qui rectè non sapit, aversor & alienum existimo. Et dum diceret hæc, Reverendissimi Episcopi clamaverunt: Clarè dic, anathema Nestorio, & dogmatibus ejus; anathema Nestorio & amantibus eum. Theodoretus Reverendissimus Episcopus dixit: Verè non dico, nisi quo modo novi Deo placere. Priùs satisfacio vobis, quia neque de civitate cogito, neque honore opus habeo, neque ob hoc adveni: Sed quia calumniam passus sum, veni satisfacere me esse orthodoxum, & omnem hæreticum qui converti noluerit, anathematizo. Et quia Nestorium & Eutychem, & omnem hominem dicentem vel opinantem duos filios, anathematizo. Et cum diceret, Reverendissimi Episcopi clamaverunt: Dic apertè, anathema Nestorio, & qui ea quæ ejus sunt, sapiunt. Theodoretus Reverendissimus Episcopus dixit: Ego nisi exposuero quomodo credo, non dico. Credo autem. Et cum diceret, Reverendissimi Episcopi clamaverunt: Iste hæreticus est, iste Nestorianus est. Hæreticum foras mittite. Theodoretus Reverendissimus Episcopus dixit: anathema Nestorio, & ei qui non dicit

Dei genitricem virginem Mariam, & qui in duos filios partitur unum filium unigenitum. Ego autem & fidei definitioni subscripsi, & Epistolæ sanctissimi & Deo amantissimi Archiepiscopi Domini Leonis; & sic sapio. Et post omnia hæc dixit. Salvete: Gloriosissimi judices dixerunt: Omnis jam dubitatio de Theodoreto Reverendissimo Episcopo est soluta; quippe & Nestorium coram nobis anathematizavit, & à Sanctissimo & Dei amantissimo Archiepiscopo senioris urbis Romæ Leone susceptus est, & definitionem fidei à religiositate vestrâ prolatam libenter suscepit, & insuper Epistolæ memorati Sanctissimi Archiepiscopi Leonis subscripsit. Deest igitur, ut sententia proferatur a reverentiâ vestrâ, ut Ecclesiam suam recipiat, sicut & Sanctissimus Leo Archiepiscopus judicavit. Omnes Reverendissimi Episcopi clamaverunt: Theodoretus dignus est Sede. Ecclesia orthodoxum. Ecclesia Pastorem recipiat: orthodoxum doctorem Ecclesia recipiat. Theodoretus dignus est Sede. Archiepiscopo Leoni multos annos. Post Deum Leo judicavit. Populus orthodoxum recipiat dignum suâ Sede. Theodoreto catholico Doctori reddatur Ecclesia.

Omissis ambagibus & iis quæ ad criticam subtiliorem pertinent, hæreamus

in eò quo omnis causa continetur, & quod bona fides in dubium vocari non sinit.

1. Cum dicitur, *Reverendissimos Episcopos* fuisse locutos, tam manifestum est quàm quod maximè, agi tùm de Episcoporum omnium consensu subito conclamantium, & eâdem mente in sententiam eamdem velut ex composito conspirantium. Et verò non est Concilium nisi in Episcoporum consentiente & conspirante sententiâ positum. Sæpissimè Conciliorum Patres leguntur unâ voce conclamare, seu præ gaudio propter dogma de quo credendo facilè convenit inter omnes, seu præ sanctâ quâdam indignatione propter novitatem manifestæ offensionis & scandali plenam. Quò clariora sunt ea quæ Concilii Patres sequuntur, eò minùs opus est deliberatione. Frustrà vero *deffensor* ille *omnium Theologorum &c.* pias illas conclamationes appellat *clamores tumultuosos.* Frustra audet etiam dicere *ventum esse ad clamores acerbissimos.* Qui sic loqui non dubitat, is sanè auctoritatem eorum, quæ à Conciliis summâ Patrum omnium consensione decreta sunt, labefactare & convellere nititur. Is causam hæreticis præbet *clamores tu-* p. 154.

multuosos, atque *acerbissimos* appellandi ea quæ sunt à Conciliis adversùs errores manifestos absque ullo deliberandi labore pronunciata. Id qui sequitur, poterit etiam quamadmodum jam à nobis animadversum est, accusare Concilii Nicęni Patres, qui *ut primùm lecta fuit* quædam *fidei formula* quæ videbatur Ario favere, *ingenti tumultu contra eos* qui eam obtulerant *concitato*, *prodita illos pietatis insimularunt*. At illud certè sectę scriptores, si quis esset pudor, adigere debuit ad silentium, quod illi ipsi *Reverendissimi Episcopi* commemorantur conclamasse (dic clarè anathema Nestorio) qui postea Theodoretum denique receperunt ut *suâ Sede dignum*. Illi prorsùs iidem Episcopi & eum recipere nolebant antequam Nestorium planè & absque ullâ exceptione damnasset, & eum statim recepêre, postquam Nestorium à se absque ullâ exceptione damnari professus est. Atqui illi *Reverendissimi Episcopi*, qui Theodoretum denique susceperunt, erant ipsum Concilium. Igitur & illi *Reverendissimi Episcopi*, qui non nisi eâ lege Theodoretum suscipere volebant, erant pariter ipsum Concilium in illo absoluto anathemate postulando conspirans. Extrema cum primis mirificè

Theodoret. hist. l. 1. cap. 7.

Vide tom. 5. Concil. p. 508.

consentiunt. Patres iidem, quibus non satis est aliqua explicatio, & qui anathema postulant absque ullâ exceptione, Theodoretum suscipiunt statim atque ille concedit quod ipsi exegêre. Denique si quidam fortè Episcopi *clamoribus tumultuosis, & acerbissimis*, injustè voluissent à Theodoreto exigere anathema adversùs Nestorium absque ullâ exceptione prolatum, atque illum hæreticis annumerare propter *factum momenti nullius*, illud certè manifestum est, futurum fuisse ut tyrannidis tam invidiosæ crimen ad universi Concilii Patres pertineret, qui scilicet non coëgissent tacere Episcopos illos injustos & importunos, neque Theodoreti explicationem admisissent. Quippe Concilii totius erat, non importunorum quorumdam Episcoporum, ea vel admittere vel repudiare quæ reus offerebat. Debuisset Concilium importunis illis Episcopis silentium imperare. Debuisset hoc ipsis dicere (atqui sic habere Theodoretum rectè & verè, vos malè & sentire & loqui. Is quantùm ad jus pertinet, credit ea omnia quæ credere opus est, quantùm verò spectat ad factum, satis habet continere se obsequioso silentio, quod nimirùm ad eam rem satis est. Merum

est *factum*, & quidem *momenti nullius*, hæreticitas textuum Nestorii. Ecclesia etiam universa in eo facto obnoxia est errori. Theodoreto licet eâ de re credere quidquid ipse sibi credendum esse duxerit.) Ea debuisset esse Concilii oratio, si sectæ placita probavisset. Sed contrà, patitur Concilium ut Theodoretus ab Episcopis hæreticus pronuncietur, nisi anathema de facto Nestoriano planè & absque ulla exceptione proferat. Quare etiamsi, quod prorsùs falsum est, aliqui dumtaxat importuni Episcopi cæpissent fidem illius facti certam & ab omni exceptione se-unctam postulare, tam manifestum est quam quod maximè, ab universo Concilio *clamores* illos *tumultuosos* atque *acerbissimos* non modò compressos non fuisse, quemadmodum comprimi oportuit, sed etiam approbatos & ad finem usque suâ auctoritate confirmatos. Theodoreto enim non priùs admisso, quàm omninò fecisset ea omnia, quæ illi Episcopi de facto Nestoriano ab ipso postulabant, satis declaravêre Concilii Patres se clamoribus illis assentiri, quos non modò non compescerent, sed etiam approbarent, atque auctoritate suâ confirmatos esse vellent. Nihil est igitur magis absurdum, nihil majoris offen-

ſionis plenum, quàm negare audere; tam admirabilem conſtantiam univerſo Concilio tribui oportere.

2. Dubitari non poteſt quin & Theodoretus de iis omnibus quæ ad ipſum dogma pertinent ea crederet, quæ Concilio probarentur, & ea Theodoreti fides Concilio nota eſſet ac perſpecta. Jam ille & *fidei definitioni* à Concilio præſcriptę, *& Epiſtolæ ſanctiſſimi & Deo amantiſſimi Archiepiſcopi Domini Leonis ſubſcripſerat.* Quid quod & Orientales, qualis fuit Joannes Antiochenus, qui Neſtorium damnare adjecto anathemate noluerant, *erant ipsâ re orthodoxi.* Errabant tantùm in iis *verbis quæ fidei repugnarent*, ut ille *Theologorum deffenſor* confitetur. Non contendebant igitur de ullâ re quæ ad jus pertineret, hoc eſt de ullo dogmate, ſed de *verbis* dumtaxat, *quæ fidei repugnarent* quidem, ſed repugnare tamen ab iis non crederentur. Atque adeò ſi ſectæ placita ſequamur, omnes illi Orientales Epiſcopi contendebant dumtaxat de *facto momenti nullius* poſito in leviuſculis grammaticis quæſtionibus de aliquo textu, in quo Neſtorium excuſare & purgare nitebantur. Theodoretus ſanctus ille & doctus Epiſcopus, unus erat ex illis *Orientalibus*, qui *erant ipsâ re orthodoxi*, neque contendebant niſi de

D. fenſ. Theolog. p. 150.

facto momenti nullius in quibusdam *verbis* posito. Nihil postulabat aliud, nisi ut ipsi liceret animi sui sensa proponere. Illi profectò qui pro Nestorio laborabant, erant tunc temporis eâ ipsâ conditione, quâ se homines è sectâ esse jam volunt in tuendo Jansenio; atque illi quidem longè digniores erant, quorum haberetur aliqua ratio, quam homines à Jansenio, qui & discordes sunt ac dissentientes inter se, & nullum appellant Episcopum in denegandâ formulæ subscriptione ducem, & neminem habent in eâdem denegandâ pertinacem, præter septem vel octo scriptores tacito suo nomine delitescentes, vel in Hollandiam transfugas. Perstat tamen synodus in eo semper obstinata, ut *quicumque Nestorium non anathematizat, anathema sit.* Concilium jubet esse anathema, quisquis hæreticitatem Nestorii credere noluerit. Si nihil ageretur præter *factum momenti nullius* ad juris controversiam, non posset sine tyrannide quâdam invidiæ atque offensionis plenissimâ juberi esse anathema, quisquis factum illud non crederet. Non est hæc oratio Concilii: (Malè pertinax es, si factum hoc non credis, est enim clarum ac manifestum. Illud ipse cognosce diligenter, & ad dijudicandum rationem

Concil. tom. 4. p. 501.

adhibe. Oculis ipse tuis crede. Agnosce illam evidentiam, quæ est ad omnem hominem non prorsùs delirum convincendum idonea.) Minimè verò ea fuit oratio Concilii. Quo anathemate feritur Nestorius, eodem feriuntur & ii qui Nestorium anathemate damnare nolunt. Concilium jubet hæreticos haberi eos omnes qui de Nestorii hæreticitate dubitant. Frustra dixeris hæreticum esse neminem posse eâ solâ causâ ac nomine, quod non credat *factum momenti nullius*, & illud quidem *in verbis* positum. Frustrà contenderis in ejusmodi facto dijudicando Ecclesiam universam errare posse. Frustrà addideris ne esse quidem in hominis potestate positum, ut factum illud certò credat, contra persuasionem suam intimam, ductus eâ tantùm auctoritate quę incerta sit & errori obnoxia. Frustrà indè confeceris, non licere omninò contra hanc intimam pro alterâ parte atque insuperabilem animi sententiam ac judicium, anathema absolutum pronunciare. Frustrà cum Theodoreto professus fueris non posse te anathema proferre, *nisi* priùs *exposueris quomodo credas*, atque anathemati subjunxeris exceptionem & conditionem aliquam, quantùm ad factum pertinet, hoc est nisi contestatus

fueris à te anathemate damnari *non solum Nestorium & Eutychem, sed & omnem hominem qui rectè non sapit*, hoc est, si modò ille hæresim de quâ agitur defendat. Exceptionem ejusmodi nullam synodus admittit. Omnino postulat anathema absolutum tam ad facti quàm ad juris controversiam pertinens. Ubi Theodoretus hæret, atque illud postulare non desinit, ut anathemati conditionem aliquam & temperamentum apponere liceat, synodus universa conclamat, *iste hæreticus est: Iste Nestorianus est: hæreticum foras mittite* Solis nominibus commutatis quæstio nostra omnis absolvetur. Fingamus nobis aliquem Jansenii patronum ab aliquo Concilio postulare, ut mentem suam aperiat, ut *exponat quomodo credat*. Contestatur damnari à se quinque propositiones, ubicumque illæ inventæ fuerint, atque etiam in Jansenio, si in eo inveniantur. Ait se *aversari & anathematizare* & Baïum & Jansenium, & *omnem hominem qui rectè non sapiat*, atque eas propositiones docuisse compertus fuerit. Verùm id imperare sibi non potest, ut anathema absolutum & absque ullâ exceptione tam de facto quàm de jure pronunciet. Ecclesia denunciat se nihil jam audire, *nihil relegi velle*.

Fruſtrà defenſor ille Janſenii poſtulat, ut ſua ſcripta cognoſcantur, quibus damnavit errorem omnem, & abſque ullâ exceptione Conſtitutiones amplexus eſt & ratas habuit, quantùm ad juris controverſiam pertinet. Eccleſia nihil reponit præter hæc Concilii verba, *hæreticus eſt .... hæreticum foras mittite.* Igitur prorsùs neceſſe eſt, ut vel Eccleſia tyrannica ſit in *facto momenti nullius* ad juris controverſiam, aut poſſit auctoritatem ab omni erroris periculo immunem adhibere ad exigendam fidem illius facti, quod cum jure cohæret & connexum eſt.

3. Hoc unum jam habent homines è ſectâ quod dicant, in Concilio Chalcedonenſi actum fuiſſe dumtaxat de facto merè perſonali in Neſtorii mente intimâ & cogitatione poſito, in quo dijudicando fateri omnes debent Concilium fuiſſe obnoxium errori. Sed nonne intelligunt homines è ſectâ nullius unquam auctoris perſonam ab Eccleſiâ damnari, niſi propter aliquos textus aut ſcriptos aut vivâ voce prolatos? Damnatio quæ ab Eccleſiâ decernitur, ſemper directè atque immediatè pertinet ad textum abſolutè & ſecundùm ſe ſumptum. Deindè ea directa atque immediata damnatio re-

dundat in auctoris ipsius caput, prout contra ipsum faciunt habitæ legitimæ quæstiones. Atque in has quidem quæstiones falsitas cadit, aliquando tamen & res manifestè veras illæ complectuntur. Igitur anathema quod Ecclesia pronunciat adversùs Nestorium, quodque jubet pariter ab omnibus Episcopis pronunciari, directè atque immediatè pertinet ad Nestorii textus, quemadmodum hæc nostrâ ætate celebris damnatio ad Jansenianum textum pertinet. Non potest anathema nisi ex obliquo & veluti repercussu redundare in ipsa auctorum amborum capita, prout manifestè notum est vel non est, mentem eorum propriam sensui textuum nativo consentaneam fuisse vel dissentaneam. Verùm ubi absoluto anathemate decernit Ecclesia hæreticum esse, quisquis auctorem aliquem anathemate damnare noluerit, anathema illud absolutum non pertinet ad cogitationem auctoris intimam atque arcanam, verùm ad eum illius textum, quem Ecclesia jam præ oculis habet, & adversùs quem sententiam fert dogmaticam, quæ est quoddam Canonis genus. Cogitatio auctoris quandiu intimâ ejus mente continetur, atque ab ejus textu sejuncta est, nihil habet ex-

ternum, nihil quod incurrat in ſenſus; atque adeò quod peſtem afferat. Nullum ab eâ poteſt depoſito fidei periculum exoriri. Numquam Eccleſia committet, ut hæreticum decernat, quicumque non crediderit factum ejuſmodi tam incertum, tam promiſcuum, poſitum in intimâ atque arcanâ ſcriptoris privati cogitatione. Iterùm dicendum eſt, damnatio nonniſi repercuſſu & ex obliquo redundat in cogitationem auctoris propriam, ubi ea textibus ita repręſentata eſt, ut manifeſtè appareat. Ipſa verò directa & immediata damnatio, quâ anathema continetur, & cui abſque ullâ exceptione ſubſcribere Catholicos omnes neceſſe eſt, ſemper cadit in ſolam textuum hæreticitatem abſolutè & ſecundùm ſe ſumptorum. Duo ſunt Eccleſiæ judicia, quæ miſceri & confundi nunquam debent, licet utrumque eodem tempore fiat. Alterum eſt dogmaticum de quopiam textu, canonis locum obtinens, cui fides interna debetur. Alterum eſt cauſa quædam, in quâ privatus quiſpiam hæreſeos accuſatur, & quæ fidem internam nullam poſtulat. Exempli causâ non poſtulabat Eccleſia, ut Theodoretus niſi anathema eſſe vellet, crederet ipſum Neſtorium mente intimâ

credidisse hanc hæresim, cujus auctor ferebatur. Ecclesiæ satis erat, si modò Theodoretus hæreticos crederet eos textus, qui Nestorio tribuebantur, & sine ullâ exceptione ratam haberet excommunicationem adversùs Nestorium prolatam. Satis erat, si nihil ageret, quo ulla cum eo seu cum ejus memoriâ societas & communio significaretur. Sed illud anathema adversùs Nestorium nititur ejus textuum hæreticitate, cujus fidem ac persuasionem intimam Concilium à Theodoreto postulat.

Quid habent homines è sectâ quod opponant Concilio Calchedonensi? *Clamores tumultuosos*, exclamat ille *Theologorum deffensor*, *clamores acerbissimos* ... *agendi rationem tam iniquam* .... *tam inauditam ac stupendam* ..... *ardentem cupiditatem*. Sed quid *obsequiosi silentii deffensor* opponet? habebitne plus æquitatis & modestiæ? Num eum pudebit ejusmodi conviciorum? Quidverò potest opponere, si modò sequi vult sectæ suæ placita? Etenim si facta illa posita in textibus, dijudicantur eâ auctoritate quæ obnoxia sit errori, si sunt ad juris controversiam *momenti nullius*, si auctoritas Ecclesiæ sola ac seorsim sumpta præstare nos non potest ita certos in factis

p. 156.

ejusmodi credendis, ut evidentiam illam apparentem, quâ ad contrà credendum impellebamur, ultrò deponamus, quo tandem jure Ecclesia eodem prorsùs quo hæreticos anathemate damnabit, quicumque imperare sibi non poterit, ut contra propriam animi sententiam *interiùs judicet* atque anathema pronunciet de facto spectante ad Nestorii cogitationem, quod *factum* est *momenti nullius?* Id verò tam manifestum est quàm quod maximè, tyrannidem hanc summam atque importunissimam fore, quæ si Concilio Calchedonensi verè tribui posset, nullam haberet excusationem. Sed profectò estne qui audeat illi Concilio tam nefarium scelus objicere? Igitur quod fateri necesse est, homines è sectâ sibi præcludunt oculos, & mediâ in luce caligant, ut prædicent non universo Concilio, sed quibusdam tantùm Episcopis tribui oportere *clamores* illos *importunos*, illam *agendi rationem* tam *iniquam*, tam *inauditam ac stupendam*, illam *ardentem cupiditatem*.

Mirum itaque videri non debet, quod ille *obsequiosi silentii deffensor* eamdem sibi loquendi rationem ineundam esse duxerit. *Episcopi impotentes*, inquit, *ac furore* p. 269.
perditi .... agendi ratio tam abhorrens .... 270.

p. 271. 272. *injusta, delira ac ridicula. Si repudiata non fuisset tam æqua postulatio, non habuisset sæculum sequens illas tam funestas de tribus capitulis controversias.* Quis non exhorrescat, ubi intelligit necesse esse, ut hæc convicia in Episcopos jactata, in Concilium ipsum redundent? Ubi verò Concilio ista tribuuntur, quæ dicuntur de Episcopis, fit nimirum consequens, imprudentiam & tyrannicam iniquitatem Concilii Calchedonensis, in facto momenti nullius, in quo etiam errare poterat, causam fuisse offensionum omnium quæ sæculo sequenti extiterunt. Sed operæ pretium est audire cœtera scriptoris ejusdem.

p. 273. *Quid aptius*, inquit, *ad hoc Concilium afficiendum dedecore, quàm si tribuatur ipsi ratio tam ridicula, Canonumque legibus tam contraria? .... iniquitas manifesta .... furiosæ*

p. 274.

p. 276. *declamationes.* At illi, qui tam acerbè tamque importunè invehitur in istam Concilii rationem erga Theodoretum, nescire profectò non potest, hanc ipsam rationem Calchedonensi Concilio tribui à quinti Concilii Patribus eorum temporum vicinis, atque ita tribui, ut hæc tam sancti cœtûs, majestate non indigna videatur. Verum nihil tanti est: hominibus è sectâ opus est perfugio,

Tom. 5. Concil. p. 508. Justif. p. 300.

quo

quo ſi carerent, Concilii Calchedonenſis auctoritate prorſus opprimerentur. Quippe appareret idem planè à Concilio Calchedonenſi fuiſſe præſtitum adversùs textum Neſtorii, quod Eccleſia hâc noſtrâ ætate præſtitit adversùs Janſenii textum. Tertium quidem nihil poteſt eſſe. Omninò neceſſe eſt, ut vel Eccleſia auctoritatem adhibuerit immunem ab erroris periculo in dijudicando Neſtorii textu, quo uno conſtituto controverſia noſtra omnis eſſet abſoluta, vel ſynodus œcumenica poteſtatem tyrannicam uſurpaverit illâ ſuâ *agendi ratione* tam *injuſtâ*, tam *delirâ ac ridiculâ*. *Silentii obſequioſi deffenſor* inter Concilii dignitatem & ſectę ſuę commoda dubius non hæret. Ultrò patitur *hoc Concilium affici dedecore*, & ſatis habet Epiſcopis quibuſdam tribuere, conſcio nimirum, ut fateri eum oportet, univerſo Concilio, *rationem* eam, quam ipſe *injuſtam deliram*, *ridiculam* & tyrannicam eſſe contendit.

Atque ut hanc diſputationem paucis abſolvamus, quis jam non intelligit hanc de Eccleſiæ infallibilitate doctrinam & verè oppugnari non poſſe, & manifeſtè eſſe neceſſariam, quandoquidem ea non poteſt oppugnari, niſi Calchedonenſe

Concilium afficiatur dedecore, ut latrocinium quoddam tyrannicum, aut certè illud ſtatuatur, Concilii univerſi Patres conſcios ac participes fuiſſe injuſtitiæ illius non ferendæ, quâ Epiſcopi impotentes ac furore perditi vim Theodoreto tyrannicam intulerint, ut in facto momenti nullius eum cogerent contra propriam animi ſententiam ac certam perſuaſionem anathema proferre.

III.

De contentione Schiſmaticorum, qui, ut Concilii Calchedonenſis auctoritatem defenderent, trium Capitulorum damnationi intercedebant.

CUm Imperator Juſtinianus id efficere aggreſſus eſſet, ut ea quæ dicuntur tria Capitula, hoc eſt, Theodori Mopſueſteni, Theodoreti Cyrenſis & Ibæ Edeſſeni textus ab Eccleſiâ damnarentur, Vigilius Summus Pontifex qui eo tempore Conſtantinopoli verſabatur, eos textus damnavit cum Epiſcoporum ſeptuaginta Concilio. Tum verò Eccleſiarum numerus ingens ſe ab hujus

Pontificis communione segregavit. Facundus Hermianensis in Africâ Episcopus, qui tot Schismaticorum partes scriptis tuebatur, illud pugnabat, non potuisse *post centum & viginti suæ defunctionis annos damnari ..... Episcopum in Ecclesiæ pace defunctum*. Ita disputabat. *Quamvis rebaptizantes Donatistas damnemus ab Ecclesiâ separatos, non tamen damnamus Cyprianum & Socios ejus, qui nullius anathematis interpositione ab Ecclesiâ se diviserunt..... Ita quamvis damnemus Nestorianos ab Ecclesiâ separatos, non tamen damnamus Mopsuestenum Theodorum, qui nullius anathematis interpositione ab Ecclesiâ se divisit, vel si aliquid scripsit, quod forte nunc videtur occasionem Nestorianorum errori dedisse. Et sicut nobis sufficit sententias de baptismo Cypriani & Sociorum ejus respuere, nec sub anathemate condemnare, ita si* QUID FORTE MINUS INTELLIGENS *Theodorus* MALE SCRIPSIT, SUFFICIT NOBIS RESPUERE, NEC SUB ANATHEMATE CONDEMNARE; *Quoniam hanc reverentiam semper Ecclesia detulit in gremio pacis suæ atque honore defunctis, ut non solùm eos qui fortè in talibus quæstionibus per ignorantiam humanæ infirmitatis errassent, verùm nec ipsa eorum dicta, sicut hæreticorum, sub ana-*

Lib. contr. Mocian. inter opera varia P. Sirmondi tom. 2. p. 833.

Ibid. p. 839

themate condemnaret. Hæreticum enim non humanæ infirmitatis ignorantia, sed pervicacia facit. Unde B. Augustinus in libro de catechizandis rudibus: Quamquam, inquit, & illi, qui CATHOLICI *ex hâc vitâ migrarunt, & aliquid litterarum Christianarum posteris reliquerunt,*
p. 840. *..... veri similitudine a veritate aberrantes &c.*.. CATHOLICOS *itaque dicit ex hac vitâ migrasse Catholicus Augustinus, qui in Ecclesiâ constituti .... veri similitudine à veritate aberraverunt: nec vult eos hæreticos dici, quamvis præsumptioribus & audacibus occasioni fuerunt ad aliquam hæresim moliendam atque gignendam.*

Videtis Facundum illud manifestè facere, ut Theodori personam ab ejus scriptis seu textibus distinguat. Statuit etiam hunc Episcopum *malè scripsisse*, & quidem *minùs intelligentem malè scripsisse*. Patitur eum referri inter illos, *qui veri similitudine à veritate aberrarunt*; ne ejus quidem mentem & consilium prorsùs defendere aggreditur. Id satis habet, hanc perpetuam fuisse Ecclesiæ consuetudinem, ut ne quis post mortem damnetur, qui jam tueri se ipse non potest, & qui quoad vixit, Ecclesiæ communionem cum pace & dignitate servavit.

Vult quidem ejus doctrinam ac textum, ejusque scripta repudiari, veluti repugnantia traditioni, si modò illi repugnare & adversari censeantur, sic tamen ut non propterea damnentur *ejus dicta, sicut hæreticorum*, quia nimirùm hæreticus ipse censeri non potest, quemcumque tandem in errorem lapsus sit, nisi in eo errore defendendo adhibuerit *pervicaciam*. Postulat ut sancti Augustini exemplum sequi placeat, & *Catholicum* vocare Theodorum ipsum, quamquam is fortasse *in Ecclesiâ constitutus ..... veri similitudine à veritate aberraverit*.

Idem Facundus illa verba sua recitat, *ego enim fateor ..... non pro Theodori Mopsuesteni damnatione me à contradicentium communione subtraxisse. Hoc enim vel si approbandum non sit, ferendum tamen existimo, nec tantam esse causam judico, pro quâ deberemus à communione multitudinis segregari; sed quia ex personâ Theodori Epistolam Ibæ Nestorianam probare conati sunt*, ET EX EPISTOLA IBÆ SYNODUM, A QUA SUSCEPTA EST, IMPROBARE. Hæ nimirum erant Schismaticorum suspiciones. De ipsâ Theodori causâ seorsim ac per se spectatâ non multùm sanè laborabant. Id solum verebantur, ne convelleretur auctoritas Conci- *Ib. p.* 832.

lii, dum illius viri quem Ibæ Epiſtola commendabat, damnaretur memoria, quia iſtam Epiſtolam ſtatuebant fuiſſe à Concilio comprobatam. Verum ipſi denique Facundo cauſa Theodoreti non videbatur eſſe tanti, ut ejus damnationi reſiſteretur. Quarè ſi quis Facundum ſequi vult, is fateatur neceſſe eſt, totius controverſiæ caput ad Theodoretum atque Ibam pertinuiſſe. Atqui luce ipsâ meridianâ clarius eſt, nunquam fuiſſe actum de his duobus Epiſcopis, ſed tantùm de ipſorum textibus damnandis. Quare in illâ causâ quæ tantâ animorum contentione diſceptata eſt, nihil ſpectabat ad perſonas, omnia poſita erant in textibus. Totius rei caput, quo uno ſchiſma deffendi & probari poſſe exiſtimabant, Epiſtolâ Ibæ continebatur, quam Calchedone orthodoxam judicatam eſſe ſibi perſuadebant. Facundus ſe quidem & alios ejuſdem factionis affirmabat *in primis pro ſtatu generalis ſynodi* Calchedonenſis *fuiſſe ſollicitos, ne quod Acephali ſemper quæſierunt, in retractationem deducta frangeretur ejus auctoritas.* Itaque ſic arguebat. *Quomodo enim non præjudicet, ſi demonſtrentur 70 circiter Epiſcopi cum Romano Antiſtite Conſtantinopolim congregati, ut illos omittam qui*

Ibid.

Ib. p. 834

ante subscripserant, condemnasse cum approbatoribus suis Epistolam à Calchedonensi Concilio approbatam? tum & illud adjungebat. *Quod illa pax à Dei Sacerdotibus in Ecclesiâ sit tenenda*, QUÆ STATUM IPSIUS NON SUBVERTAT ECCLESIÆ. SUBVERTITUR *autem*, SI EJUS DE FIDE GENERALIA CONSTITUTA DECRETIS ALIORUM SACERDOTUM QUALIBET OCCASIONE FRANGANTUR. Eâ re ducti tot Episcopi cæteroqui valdè Catholici schisma excitaverunt. Ib. p.836.

Aiebant *Ecclesiæ pietatem ferre non posse, si condemnanda diceretur Epistola, quam synodus approbavit; vel potius ipsa synodus, propter quod eam judicavit orthodoxam .... approbatores quoque ejus, qui eam rectam dicunt, & anathemati non subjiciunt.* Et illud addebant, si Epistola foret Nestoriana, *Nestorianam etiam illam synodum fore, quæ talem Epistolam orthodoxam judicavit.* Suos verò adversarios imprudenter ac frustrà contendere Epistolam Ibæ non fuisse approbatam à Concilio, quia *synodus nihil habet quo defendi veraciter queat*, ubi deinde fuerit demonstratum Epistolam ab ipsâ fuisse approbatam. Imò & eos refellere Facundus nitebatur, qui aiebant à S. Leone Concilium Calche- L.5.c.1. p. 533. Ib. p. 538.

donense confirmatum non fuisse, nisi in rebus iis quæ spectarent ad fidem, atque adeò confirmatum non fuisse judicium illud, quod ad purgandum Ibam pertineret. Facundus hoc argumentum
Ib c 4. p. 562. ita prosequitur. *Ipsi eam non dicant Nestorianam, & non putetur ad fidei causam pertinere. Si autem Nestoriana dicitur, de fide utique accusatur: & quia jam suscepta dicitur à sanctâ Synodo, consequenter & à Beato Leone dicitur esse firmata, quem non negant ea quæ ibi de fide sunt statuta firmasse.* Deindè scriptor idem sic arguit. *Non potuerunt*, isti trium Capitulorum damnatores, *novæ diligentiæ repertores crimen temeritatis evadere, qui statuere ausi sunt & dicere, si quis dicit rectam esse ad Marim Epistolam, aut eam deffendit, & non anathematizat eam, anathema sit. Nam eam Calchedonensis synodus rectam dicit, Leo vel si non confirmat, non anathematizat eam. Anathema igitur ab istis cum synodo Calchedonensi factus est Leo.*

Ib. c. 5. p. 562. Sunt & hæc Facundi verba. *Sufficit nobis ad defensionem ipsius Epistolæ, quod eam tanta synodus, & ipsius auctor synodi, vir Apostolicus, & in doctrinâ veritatis toto orbe notissimus, approbavit. Hæc est prima* ET IMMOBILIS AC SECURA *nostra*

ratio, quæ nos tuetur ac firmat adversùs omnes contradicentium quæstiones.... Neque enim est alia Conciliorum faciendorum utilitas, QUAM UT QUOD INTELLECTU NON CAPIMUS, EX AUCTORITATE CREDAMUS, ET SICUBI RATIO MINÙS NOBIS OCCURRERIT, FIDES *ne labamur,* CITÒ SUCCURRAT. *Nam si post decretum disceptare licuerit, ut dicatur, priùs probetur Epistola illa quod recta sit, ut credatur fuisse suscepta; non est quare jam Concilia congregentur, nec terminatæ, immò nec terminabiles dicantur quæstiones, quarum probatio semper exigitur. Cur enim non dicatur similiter, probetur prius, quod unius essentia sint Pater ac filius, ut credatur hoc Nicæno Concilio terminatum? ..... Atque ita quæstionibus universis in antiquo statu manentibus, non solùm nihil synodorum constitutionibus absolutum esse videbitur, sed etiam ad perpetuandas lites quæstionum in eis memoria reservata. Et ideò non idem modus esse debet, atque ordo quærendi, post definitionem Concilii totius Ecclesiæ consensione firmati, qui fuit ante definitionem. Tunc enim ratio poscebat, ut si orthodoxa probaretur illa Epistola, suscipienda judicaretur à synodo; nunc autem ratio poscit, ut si suscepta probetur à synodo, ju-*

p. 563.

dicetur orthodoxa. Hanc observantiam tenentibus, nihil nobis prævalebit hæreticorum calliditas, si judicare non præsumamus, quod intelligere non valemus. Recitat deindè Facundus ea verba quibus
Ib. p. 563. promissiones divinæ continentur. *Ecce dedi verba mea in os tuum; & constitui te hodiè super gentes & super regna.* Tum adjungit S. Leonis verba ad Imperato-
Ib. p. 565. rem scribentis. *De rebus & apud Nicæam, & apud Calchedonem, sicut Deo placuit, definitis, nullum audemus inire tractatum, tanquam dubia, vel infirma sint, quæ tanta per Spiritum sanctum fixit auctoritas.* Atque inde sic concludit: *hâc igitur Beati Leonis auctoritate, nostra & omnium, qui tria Capitula defendunt, ratio confirmatur, quod disputare nos cum Eutychianis*, hoc quippe nomine suos adversarios appellat, *de sententiâ super Iba Epistolâ prolatâ nullus ordo permittat.*

Ib. p. 566. Posteà sic pergit. *Cernis igitur, Religiose Princeps*, Imperatorem Justinianum alloquitur, *ad hujus Epistolæ defensionem sufficere nobis in præsenti tempore, quod eam probavimus orthodoxam à synodo judicatam..... Quam ob rem sufficit nobis, ut dictum est, horum sola probatio.* SIQUIDEM NEQUE CATHOLICUS QUISQUAM

POTEST TANTÆ SYNODI AUCTORITATI RESISTERE: *neque nos ratio finit cum Eutychianis, nedum inter nos, principali quæstione finitâ, de sententiâ super Epistolâ Ibæ prolatâ confligere.* Prædicat deinde *auctoritatem magnæ synodi, quam inter hæreticorum fluctus ac turbines, sicut anchoram habemus animæ tutam & firmam.* Denique definit in hæc verba, *objectâ primùm oblatrantibus mole paternæ sententiæ, quam super Epistolâ sæpè dictâ prolatam docuimus, in quodam placidissimo fidei portu causæ rationem vel inveniendam quæramus, vel ostendamus inventam; ut quod* FIDE CREDITUR, *etiam intelligentiâ cognoscatur.* *Ibid.*

Is sanè rem apertissimam ac manifestam videre nolit, qui non intelligat Facundum in suo schismate non valdè laborare de illâ controversiâ personali, quæ ad Theodori Mopsuesteni cogitationem seu consilium attinebat. Eam non attingit, nisi quia timet ne Concilium Calchedonense arguatur approbatæ hæreseos Nestorianæ, si & videtur Epistola Ibæ, quâ Theodorus commendatur, à Concilio fuisse approbata, & Theodorus idem Nestorianus existimatur. Non id agit Facundus, ut Theodori textum dogmaticè secundùm se spectatum deffen-

dat. Imò ponit Theodorum *fortè minùs intelligentem malè scripsisse.* Verùm eo posito ait *sufficere sententias* & textum *ejus respuere, nec* ipsum propterea *sub anathemate condemnare*, & repudiatum textum illum *malè scriptum*, non propterea debere damnari tanquam *haretici* textum, quia non solet Ecclesia eum, quem quoad vixit in pace & cum aliquâ dignitate suç communionis participem esse passa est, post mortem *hareticum* declarare, cum ille se jam purgare & deffendere non potest, quamvis fortasse *veri similitudine à veritate aberraverit.* Verùm illud erat Schismatis firmamentum, quod Epistolæ ab Ibâ scriptæ textum à Concilio approbatum esse ponit. Contendit Facundus hujus Epistolæ à Concilio approbatæ causam esse ipsius *fidei causam*, quandoquidem agitur ipsa fides, quæ eo textu vel corrupta est, vel servata. Indè conficit S. Leonem quoniam Concilii de fide decreta confirmasset, confirmasse quoque hujus Epistolæ approbationem. Ait, si Epistola hæc esset Nestoriana, fore consequens, ut Concilium à quo est approbata, esset quoque Nestorianum. Hujus textûs approbationem comparat & componit cum adoptione à Concilio Nicæno factâ symboli illius, quo filius

Patri consubstantialis esse decernitur. Exclamat auctoritatem Concilii, à quo textus ille approbatus est, esse *immobilem & securam rationem*. Ea auctoritas si deficeret, inquit, *nec terminata, imò nec terminabiles dicantur quæstiones*. Tantum abest ut hanc auctoritatem faciat à textuum evidentiâ pendentem, ut etiam nolit quantùm ad eam rem pertinet, licere cuiquam rationem suam audire. Non patitur, *ut judicare præsumamus, quod intelligere non valemus*. Ait etiam *disputare de sententiâ super Epistolâ Ibæ prolatâ nullum ordinem permittere*. Ipsas promissiones appellat, quæ Scripturâ sacrâ continentur, atque eò demùm progreditur, ut neget *Catholicum quemquam posse tantæ synodi auctoritati resistere*.

Facundus quidem immeritò & nullo jure ponebat Epistolam Ibæ à Concilio Calchedonensi fuisse approbatam. Sed eo certè posito, conficiebat nullum *Catholicum posse tantæ auctoritati resistere*, ut hujus textûs orthodoxiam in controversiam disceptationemque revocaret.

Atque hæc quidem sententia non debet ita spectari, quasi quæ solius Facundi propria fuerit. Ille partes agebat totius fermè Occidentis cum ipso tum temporis in eâdem propugnandâ causâ

confpirantis. Omnes illud ratum volebant effe, *ftatum ipfius Ecclefiæ fubverti*, fi poteft ab aliquo Concilio retractari quod ab altero Concilio decretum eft de aliquo textu, qualis fuit Epiftola Ibæ. Credebant neceffe effe, ut Concilium Calchedonenfe *Neftorianum* effe declararetur, fi ftatueretur *Neftoriana* effe ea Epiftola, quæ ab eo foret approbata. Erat omnium una vox & fententia, neminem *Catholicum poffe tanta auctoritati refiftere*, quæ textum illum approbaffet. Hoc ipfum numerus ingens Occidentalium deffendendum fufcepit, & annis plurimis ante quintum Concilium, & longo etiam poft illud Concilium tempore. Hoc ipfum fuit Schifmatis firmamentum. Hoc ipfum propugnabant tot Ecclefiæ ex Africâ, ex Hifpaniâ, ex Galliis, ex Hiberniâ, ex Dalmatiâ, ex Iftriâ &c.

Quid verò Ecclefia reponebat ? Aiebatne, etiamfi textum Neftorianum Epiftolæ ab Ibâ fcriptæ Calchedonenfis fynodus approbaffet, errorem tamen hunc non fore nifi de *mero facto & eo quidem momenti nullius* ? Aiebatne potuiffe pro fuo jure quintum Concilium hunc facti errorem reparare atque emendare, damnato eo textu qui perperam

fuerat approbatus ? Aiebatne se in factis ejusmodi, quæ nullius sunt ad ipsum jus momenti, esse errori obnoxiam, atque adeò mirum esse non debere, quod ea judicia revocet atque corrigat ? Imò verò, quod posteà ex Pelagii II. Epistolâ planum faciemus, suam ipsa agendi rationem sic tuebatur ac defendebat, ut negaret Epistolam Ibæ unquam fuisse à Concilio Calchedonensi approbatam, neque ullo pacto revocaret in dubium id quod Schismatici volebant à Catholicis omnibus haberi fundamenti cujusdam & certi principii loco, nimirum *statum Ecclesiæ* ipsius *subversum iri*, si Concilium aliquod posterius auderet retractare, & revocare ad judicium id quod fuisset à priori Concilio decretum de textûs cujuspiam orthodoxiâ vel heterodoxiâ. Illud tot Ecclesiarum Schismaticarum firmamentum nunquam dubium fuit, nunquam vel directè vel indirectè vocatum in controversiam. Nulla unquam de illo contentio, nulla quæstio fuit. Hoc unum negatum fuit, Epistolam Ibæ fuisse à Concilio probatam, neque unquam creditum est, permitti posse orationem hujusmodi (Etiamsi Concilium Calchedonense textum hunc probasset, in eo probando errare potuisset, quippe quod

ſit in iis rebus obnoxium errori ; & ſubreptionem debet Eccleſia, ſtatim atque ea ipſi oſtenditur, reparare.) Brevis hæc fuiſſet & decretoria reſponſio. Atqui reſponſionem hanc neque Pelagius II. neque ſanctus Gregorius, neque Catholicus eorum temporum ullus eſſe legitimam aut adhiberi poſſe unquam exiſtimavit.

I V.

Quid Vigilius Papa ſenſerit de Eccleſię infallibilitate in textibus dijudicandis.

Vigilium Summum Pontificem audiamus, qui primùm cum Epiſcopis 70. Epiſtolam Ibæ damnaverat. Adeò perculſus eſt illo timore, ne eâ in re ſuprema Concilii Calchedonenſis auctoritas labefactata videretur, ut revocaverit ſtatim, quod primùm fecerat. Cauſatus eſt ſe *Græca lingua* eſſe *ignarum*. Deinde ſic ait. *Debet veſtra pietas pariter nobiſcum & univerſorum corda fidelium ex his verbis advertere, ideò nos non audere Calchedonenſis ſynodi retractare judicium, ne ibidem conſidentibus Sacerdotibus iſta (quod abſit) ab hæreticorum inſidiis macula inuratur .... ſi nos modò cauſas ejuſdem*

Conſt. Vigil. tom. 5. Conc. p. 369.
Ib. p. 372.

dem sanctæ Synodi cum consensu Sedis Apostolicæ judicio terminatas, sub quâlibet occasione viderint retractare. Propterea ergo ... præsentis sententiæ nostræ auctoritate statuimus atque decernimus, cùm in omnibus, tùm etiam in sæpiùs memoratâ venerabilis Ibæ Epistolâ intemeratum Patrum in Calchedone residentium manere judicium.... Nec quemquam ad ordines & dignitates Ecclesiasticas pertinentem hoc constituto nostro permittimus aliquando præsumere, vel super ejusdem Epistolæ negotium, vel aliis in Calchedonensi Concilio consensu Vicariorum Sedis Apostolicæ judicatis, ordinatis, definitis, atque dispositis, tamquam imperfectis atque reprehensibilibus, sive per additamentum, sive per diminutionem, sive per immutationem, vel quoquo modo aliquid temerariæ novitatis inferre.

Refert deinde Vigilius hæc S. Leonis ad Imperatorem verba: *quia de rebus & apud Nicæam & apud Calchedonem, sicut Deo placuit, definitis nullum audemus inire tractatum, tamquam dubia vel infirma sint, quæ tanta per Spiritum sanctum fixit auctoritas .... nihilque prorsùs de benè constitutis retractetur: quia post legitimas &* DIVINITUS INSPIRATAS *constitutiones velle confligere, non pacifici est animi, sed* Ib. p. 374.

rebellis. Tum & hæc S. Leonis ad Anatolium verba subjungit. *Quia, quod sæpè dicendum est*, TOTÂ RELIGIO CHRISTIANA TURBATUR, SI QUIDQUAM DE HIS QUÆ APUD CALCHEDONEM CONSTITUTA SUNT CONVELLATUR, ET QUÆ EX DIVINÂ SUNT DISPOSITIONE COMPOSITA, ULLA PATIAMINI NOVITATE TEMERARI. Adducit & hæc Papæ Simplicii verba post Concilium Calchedonense scripta. *Neque aliquis dubius rationis & trepidus mentis expectet novi aliquid post Calchedonense Concilium contrà definitiones ipsius retractari: quia per universum mundum insolubili observatione retinetur, quod à Sacerdotum universitate est constitutum.* Atque hæc prætereà Pontificis ejusdem: *nec ullo modo retractari potest, quod illorum*, hoc est, Concilii Calchedonensis & S. Leonis, *definitione sopitum est.* Ista verò omnia, quod est diligenter tenendum, à Vigilio referuntur ad illud judicium, quo Ibæ textum à Concilio Calchedonensi probatum fuisse sibi persuaserat.

Ibid.

Ibid.

Dixerat quidem Vigilius in iis quæ ad facta, etiam personarum propria, pertinent, *credendum esse* Concilii Patres *tunc præsentes à præsenti rerum memoriâ diligentiùs etiam præter scriptum aliqua*

Ibid. p. 375.

requirere, vel definire certiùs potuisse; quod nobis nunc post tanta tempora velut ignotâ causâ videatur ambiguum, cum & hoc deferatur reverentiæ synodorum, ut & in his quæ minùs intelliguntur, eorum cedatur auctoritati. Sed illud est merum quoddam præjudicium, aut aliquod signum observantiæ, aut silentium religiosum, quod Conciliorum auctoritati conceditur etiam in factis iis personalibus, quæ dubia sunt, & de quibus jam haberi novæ quæstiones legitimæ non possunt. Ipsum verò Calchedonensis Concilii de Ibæ textu decretum, Vigilius spectat ut illud quod suprema *per Spiritum sanctum fixit auctoritas*, ut *legitimas & divinitùs inspiratas Constitutiones*, ut id, *quod divinâ est dispositione compositum*. Illud omninò vult, ut *maneant omnia quæ de Epistola Ibæ personâque ejus* statuta fuerant. Intelligitis hunc Pontificem *Græcæ linguæ ignarum*, atque adeò non satis cognoscentem quid à Concilio Calchedonensi decretum esset de Ibæ Epistolâ, rectè ex illo, quod putabat fuisse decretum à synodo, inferre quod inferebant Schismatici, decretum hoc peremptorium & infallibile esse oportere. Denique Vigilius à suo *Constituto* discedens, novo decreto Concilium quin- *Ibid.*

tum confirmavit, atque ita de tribus capitulis locutus est. *Absit enim ab Ecclesiâ Catholicâ, ut aliquis dicat omnes superiùs comprehensas blasphemias à prædictis quatuor synodis, aut ab unâ ipsarum susceptas fuisse.* Isto verbo *absit*, significatur id quod ne contingat unquam, Deus providebit. Videtur huic Summo Pontifici probari non posse tres textus qui proprio suo sensu forent hæretici, nisi *blasphemiæ suscipiantur* ac probentur. *Absit*, inquit, ut Ecclesia in ullo unquam Concilio depositi securitati tam parùm consuluerit.

Epist. decre. Vigil. tom. 5. Conc. p. 602.

V.

De Epistolâ Papæ Pelagii II. quâ argumentum idem pertractatur.

SEd jam veniamus ad percelebrem illam Pelagii II. Epistolam ad Episcopos Istriæ, cujus est apud sanctum Gregorium mentio, & quam ab ipso S. Gregorio fuisse conscriptam Paulus Warnefridus affirmat. An verò ille ad Schismaticos, quibus persuasum erat tres textus fuisse à Concilio Calchedonensi absque erroris periculo dijudicatos, sic ref-

pondet, ut contendat omne Concilium, etiam œcumenicum, esse in factis ejusmodi dijudicandis obnoxium errori; quare mirum esse non debere, quod ea quę in hac causâ per subreptionem Calchedone gesta fuerant, à quinto Concilio retractarentur & de integro cognita emendarentur? Hæc sanè à Pelagio dici oportuit ad controversiam omnem facilè dirimendam, si Ecclesiam esse credidisset in textibus dogmaticis dijudicandis obnoxiam errori. Hæc nimirùm fuisset responsionum omnium & brevissima, & facillima & clarissima, & ad schisma componendum maximè accommodata responsio. Verùm Pelagius contrà Schismaticis hoc assentitur, non debere quidquam ex Concilii Calchedonensis decretis ullâ ratione *convelli. Fraternitas*, inquit, *vestra suspicatur sanctam Calchedonensem synodum fuisse convulsam. Sed absit hoc à Christiano opere, à Christianâ cogitatione.* Simul docet S. Leonem *nihil aliud synodi nisi fidei definitionem recepisse*, nimirùm adversùs Eutychetem, atque adeò *cætera quæ illic specialiter mota sunt, refutavisse ..... & cuncta privata negotia, quæ mota in synodo fuerant, retractari concessisse.*

Epist. 1. Pelagi II. ad Episc. Istr tom. 5. Conc. p. 616.

Ib. p. 618. & 619.

De ipsâ vero propriâ ac personali

Theodori Mopsuesteni causâ Pelagius non eodem modo loquitur, quo de eâ quæstione quæ in textibus erat posita. Non ait Ecclesiæ de factis ejusmodi merè personalibus judicium non esse obnoxium mutationi. Negat tantùm, id quod homines quidam certæ regulæ seu consuetudinis loco haberi volebant, de mortuis nunquam damnandis. Ait illud a S. Leone, quem immeritò Schismatici suum esse volebant, non fuisse constitutum. Addit S. Augustinum non modò illud idem non docuisse, sed etiam ultrò egisse cum Donatistis de damnando Cæciliano etiam mortuo, si modò is traditor fuisse compertus esset. Docet Theodorum à Concilio Ephesino licet jam mortuum, damnatum tamen fuisse, atque ipsos illius Concilii Patres post illum damnatum esse mortuos, quorum adeò de Theodoro judicium Schismatici dum condemnarent, incurrerent in eam ipsam mortuorum damnationem, quam in his reprehendebant.

Tum Pelagius contendit non modò factum non esse, sed ne fieri quidem potuisse, ut Theodori textus à Concilio Calchedonensi approbaretur. Theodo-
Ib. p. 629. rus, inquit Pelagius, *si vera dixit, falsa erunt quæ de dogmatis veritate synodus*

protulit. Enimverò textum aliquem hæreticum approbare Ecclesia non potest, quin verbis ipsis affirmet illud dogma, quod proprio textûs hujus sensu continetur. Qui autem textum hunc hæreticum affirmat, is sanè verbis ipsis affirmat hæresim eo textu significatam, atque adeò negat dogma fidei. Præterea Ibæ Epistola Theodorum commendabat ut *veritatis Doctorem*, ex quo Pelagius conficit, hanc Epistolam, quâ impia Theodori scripta comprobantur, non potuisse ipsam à Calchedonensi Concilio comprobari. *Quisquis igitur*, inquit, *Epistolam quæ Ibæ dicitur, ostendere quod sit de synodo nititur, quid aliud quàm gesta ejusdem synodi destruere conatur? Si enim sibimet ipsis diversa sunt, nullâ procul dubio auctoritate subsistent, quia quæ se impugnando destruunt, alios ædificare non possunt. Si sibimet ipsis diversa sunt, nullâ firmitate convalescunt. ..... Sed absit hoc, absit ab illo venerando Concilio, ut sibimet contraria sapiat.... Sancta enim fides, quæ uno illic spiritu accepta est, uno sensu credita, una est &c.* Ibid. Ibid.

Pelagius in eo perpetuus est, ut doceat auctoritatem Concilii non esse nisi in prioribus sex actionibus, & S. Leonem

ea omnia quæ sunt posteà consecuta, *gesta multiplicia causarum specialium, reprobasse.* Unde sic disputat. *Cur nos hæreticam Epistolam retractasse reprehendimur, qui hac in re cunctorum nos præcedentium auctoritate roboramur? Et quamvis ab eâdem Epistolâ alienum se Ibas respondeat; quamvis quia approbata sit, aut difficulter, aut nullatenùs demonstretur: licenter tamen unusquisque eam reprehenderet, etiamsi Episcopi in eodem Concilio residentes suis illam subscriptionibus approbassent: quia postquam, beato Leone scribente, jus retractandi & dijudicandi conceditur, etiam si qua esse poterat eorum qui interfuerant, in privatis negotiis auctoritas vacuatur.*

Ibid. p. 630. & 631

Quare Pelagius, ubi patitur Epistolam Ibæ Calchedone approbatam existimari, responsionem suam hoc uno concludit. Si Concilium in aliquâ ex prioribus sex actionibus, in quibus œcumenicum est atque à sancto Leone confirmatum, textum hunc hæreticum approbasset, ipsum sibi repugnaret ac contradiceret, atque adeò dignum non esset cui ulla fides haberetur. *Sed absit hoc, absit ab illo venerando Concilio, ut sibimet contraria sapiat.* Cœtus ille post priores actiones sex, cum non sit legiti-

mè confirmatus, non eſt jam œcumeni-cum Concilium; non eſt itaque niſi cœtus quidam obnoxius errori, & ſupremâ au-ctoritate deſtitutus, à quo ſanè fieri potuit ut textus Ibæ comprobaretur. Atqui hæc tota reſponſio, ſubtilioribus adverſa-riorum noſtrorum diſputationibus omiſſis, tam nobis favet quàm quod maximè. Nam 1. quidem fatetur Pelagius, ſi Concilium iis actionibus quibus erat œcumenicum, approbaſſet Epiſtolam Ibæ, futurum fuiſſe ut ſibi ipſum con-tradiceret, atque omni careret adversùs Neſtorianam hæreſim auctoritate. Hęretici textûs approbationem confert cum decreto in causâ fidei ritu maximè ſo-lemni pronunciato, atque illam huic op-ponit; vult hæc duo eſſe prorsùs æqua-lia, ſic ut dum alterum alteri repugnat, alterum ab altero deſtrui neceſſe ſit. *Quiſquis*, inquit, *Epiſtolam quæ Ibæ di-citur, oſtendere quod ſit de ſynodo niti-tur, quid aliud quàm geſta ejuſdem ſynodi deſtruere conatur? Si enim ſibimet ipſis diverſa ſunt*, NULLA PROCUL DUBIO AUCTORITATE SUBSISTENT, *quia quæ ſe impugnando deſtruunt, alios ædificare non poſſunt.* Hoc eſt dicere, ſi Concilium ſex prioribus actionibus hujus Epiſtolæ hæreticæ textum approbaſſet, hęc ap-

probatio decreto fidei repugnans & contradicens, decretum destrueret, quemadmodum & ipsa decreto destrueretur. Tum verò hæc duo decreta prorsùs æqualia se invicem *impugnando destruerent*, atque adeò *nullâ procul dubio auctoritate subsisterent*. Illud ipsum est, de quo Pelagius exclamat, *Absit hoc, absit ab illa venerando Concilio, ut sibimet contraria sapiat*. Illud est, quod Pelagius promissionibus divinis ne unquam contingat effici & præstari contendit. Etiam eò progreditur, ut dicat non potuisse sex prioribus Concilii actionibus approbari Epistolam Ibæ, quâ nimirùm approbatur Theodori textus, atque is *veritatis Doctor* vocatur. Ita quippe disputat Pelagius, Theodorum iis quę ab eo desumpta refert, protulisse *blasphemias*, undè si ille *vera dixit*, *falsa erunt*, *quæ de* dogmatis *veritate synodus protulit*. Hoc est, si approbaretur à Concilio id quod Ibę textu ad commendandum Theodori textum continetur, istâ approbatione fidei decretum concideret atque everteretur. Intelligitis hanc esse Pelagii sententiam, non licere Ecclesiam credere in aliquo textu approbando obnoxiam errori, etiamsi textus ille id unum haberet vitii, quod alium textum corruptum

approbaret. Jam verò si Pelagius existimabat fieri nullâ ratione posse, ut Ecclesia probaret eum textum, qui cum cæteroqui bonus esset, peccaret dumtaxat in approbando alio textu corrupto, quanto potiori jure credebat fieri prorsùs non posse, ut textum per se hæreticum Ecclesia directè atque immediatè comprobaret? Ea sunt quæ Pelagius affirmat à Concilio fieri nusquam potuisse prioribus sex actionibus, quibus œcumenicum erat, & præditum eâ, quam promissiones divinæ præstabant, sancti Spiritûs auctoritate.

2. Pelagius nihili æstimat, & facilè patitur credi, post sex priores actiones à Concilio fuisse Epistolam Ibæ comprobatam, atque hanc approbationem in Theodori textum redundare. Non commemorat evidentiam *blasphemiarum*, quibus Theodori textus scatebat. Non ægrè poni sinit, sexcentos triginta Patres Calchedonenses, statim atque desierunt infallibilem œcumenici Concili auctoritatem obtinere, errare tam in Theodori quàm in Ibæ textu dijudicando potuisse. Et verò debetne mirum videri, judicem eum, qui ponitur in aliquâ re esse obnoxius errori, in eâ ipsâ re erravisse? Pelagius non repetit infallibilitatem ab

illâ naturali Episcoporum intelligentiâ; Imò vult eosdem prorsùs Episcopos sexcentos & triginta, in textibus iisdem dijudicandis, & per actiones sex priores fuisse immunes ab erroris periculo, & per actiones consequentes fuisse obnoxios errori.

Igitur & omnes ex Occidente Schismatici, & Summi Pontifices Vigilius ac Pelagius II. miro consensu statuunt Concilium Calchedonense, in iis omnibus quæ decrevit dum esset adhuc œcumenicum, fuisse immune ab erroris periculo in dijudicandis iis auctorum textibus, quos approbasse videretur. Hanc in approbandis textibus infallibilitatem Episcopi omnes Schismatici & ii quidem numero infiniti defendebant. Hanc ut tenerent, non dubitaverunt Vigilio resistere, atque etiam ad miseram illam & horrendam excitandi Schismatis necessitatem delabi. Hanc ipsam Vigilius ut illibatam servaret, faciendum sibi esse credidit, ut à priori suâ sententiâ discederet, & de tribus textibus, quæ vulgò tria Capitula dicuntur, molliùs pronunciaret. Imò Vigilius quintum Concilium deindè ita confirmavit, ut tamen contestaretur se nihil de supremâ Concilii Calchedonensis auctoritate detractum

esse velle. Denique eamdem auctoritatem infallibilem ut tueretur Pelagius II., sancto Gregorio adjuvante, sex priores actiones, quibus illa synodus & fuit immunis ab erroris periculo, & nullum textum approbavit, distinguit ab actionibus consequentibus, quibus non erat jam immunis ab erroris periculo, atque adeò quibus id *liceret reprehendi*, quod Episcopi admisissent in textibus dogmaticis approbandis.

Quare omissâ omni disceptatione & controversiâ, ostendimus hanc infallibilitatem & deffensam ab innumeris ex Occidente Schismaticis; & ab ipsorum adversariis ultrò approbatam, & confirmatam judicio Apostolicæ Sedis, cujus una exceptio est, fieri potuisse, ut synodus Calchedonensis in textibus dijudicandis erraret actionibus ultimis, in quibus jam non erat œcumenica neque infallibilis.

V I.

De auctoritate illâ infallibili, quam sibi quintum Concilium tribuit in dijudicandis tribus textibus, quæ tria Capitula dicuntur.

QUintum Concilium manifestè pro nobis facere adversùs homines è sectâ, breviter sic ostendimus. Concilium illud declaravit decretum suum proficisci ab eâ auctoritate infallibili, quæ divinis promissionibus nitatur : Atqui scitum est id decretum non pertinere nisi ad tres textus, quæ tria Capitula dicuntur : Igitur illud Concilium declaravit adhiberi à se eam infallibilem in dijudicandis textibus auctoritatem, quæ divinis promissionibus nitatur. Nihil habent homines è sectâ quod opponant ad argumentationem ejusmodi, tam brevem, tam claram, tam decretoriam, præter inanes argutias, quas nos modò confutabimus. 1. Significare videntur homines è secta Concilium hoc non esse præditum eâ infallibili auctoritate, quæ Conciliorum œcumenicorum propria est. 2.

Fortasse homines è sectâ contendent non satis definitè fuisse à Concilio pronunciatum, auctoritatem suam infallibilem suo decreto esse adjunctam. 3. Volunt præcipuam ejus auctoritatem pertinere non ad tres textus, sed ad hæreses jam in prioribus Conciliis damnatas. 4. Aiunt hujus Concilii auctoritatem non minùs spectare mentes & consilia propria trium auctorum, quàm ipsorum textus, atque adeò eam esse non posse immunem ab erroris periculo, cum ipsi fateamur Ecclesiam non esse immunem à periculo errandi, in arcanis mentium investigandis. His quatuor effugiis, quæ & recens ille scriptor suâ disceptatione complexus est, omnes hominum è sectâ argutiæ continentur. Quare nos Ecclesiæ causam eam quam defendimus, sine controversiâ obtinuerimus, modò clarè constituerimus ista quatuor adversùs illa quę modò proponebamus. 1. Quintum Concilium ab omnibus omninò Catholicis œcumenicum esse agnoscitur. 2. Idem Concilium declaravit suum decretum habere auctoritatem divinis promissionibus nixam, eamque infallibilem. 3. Hoc Concilium non de hæresibus aliàs damnatis, sed de tribus dumtaxat textibus pronunciavit. 4. Auctoritas decreti ea-

que infallibilis non poteſt pertinere ad factum merè perſonale poſitum in arcanâ mente & conſilio trium ſcriptorum : igitur directè atque immediatè pertinet ad tres textus. Ad iſta quatuor diligenter inveſtiganda properemus.

V I I.

De Oecumenicitate quinti Concilii.

S*Ilentii obſequioſi deffenſor* Concilium illud adeò contemnit, ut dicere etiam non dubitet de aliquâ hujus ſancti cœtûs
p. 302. 303. ſententiâ : *peſſimam calumniam .... miſerum argumentandi genus.... Illud eſt quod potiſſimùm affertur ad Epiſtolam Ibæ*
p. 323. *condemnandam .... Manifeſtum eſt eos non potuiſſe cum hæreticis eâdem damnatione conjungi, niſi tenuiſſet cupiditas & cœcitas nimia, quâ illi Concilio auctoritas omnis adimeretur.... Id qui volunt, manifeſtè quintum Concilium afficiunt dedecore.* Eumdem ſcriptorem iterùm audia-
p. 338. mus. *Mirum verò non deberet videri, quod in illo Epiſcoporum Orientalium Concilio anathema adversùs tria Capitula ultra fines legitimos extenſa fuiſſent, atque in tanto animorum ardore Catholici & Neſto-*

Nestoriani nullò discrimine habiti. Intelligitis profectò scriptorem hunc ne dissimulare quidem posse, quantum incommodi sibi ab hoc Concilio nasci sentiat. Satis perspicit nimirùm, se non posse ad illud distinctè explicandum sic descendere, ut suæ sectæ consulat. Quare hoc sibi effugium parat, ut illud exhibeat quasi Concilium quoddam particulare *Episcoporum Orientalium*, quos non mirum sit erraſse, cum non essent immunes ab errandi periculo. Illi scilicet *Episcopi Orientales pessimam calumniam*, illi *miserum argumentandi genus adhibuerunt*. Illi ducti sunt *cupiditate & cæcitate nimiâ ..... in tanto animorum ardore Catholici & Nestoriani nullo discrimine habiti* sunt. Si scriptorem hunc audimus, quisquis velit Concilii decretum proprio ac nativo sensu accipere, is *manifestè quintum Concilium afficiet dedecore*, is *illi Concilio auctoritatem omnem adimet.* Cum tam acerba, tamque fastidiosa verba exaudias, credas scriptorem hunc loqui de Conciliabulo quopiam, quod factiosorum hominum coitione congregatum sit, vel de latrocinio quodam, quale fuit olim Ephesinum, in quo Episcopi ducti sint solâ *cupiditate & cæcitate nimiâ*, ut per summam tyrannidem *Catholici & Nesto-*

riani nullo discrimine haberentur. Sanè fidelis quisque deberet aures suas occludere, ne orationem adeò blasphemam atque impiam exciperet, nisi scriptor iste ad declinandam invidiam contenderet hoc fuisse dumtaxat *Concilium Episcoporum Orientalium*, à quo videri mirum non oporteat factum cum jure mixtum & confusum esse, & Catholicos factum negantes cum Nestorianis jus negantibus nullo discrimine habitos.

Verùm ut & scriptor ille ad silentium adigatur, & fideles omnes intelligant quantùm debeant ejusmodi declamationem exhorrescere, id unum postulamus, ut hujus Concilii conclusio perpendatur. Omittamus acerbas contentiones, quæ de eo comprobando primùm exortæ sunt, & quæ singulari quodam divinæ providentiæ consilio videntur ideò suscitatæ, ut illustriori deindè modo suam auctoritatem obtineret. Vigilius Summus Pontifex, qui primùm illud sibi repudiandum esse duxerat, nimià erga Concilium Calchedonense religione & studio, demùm in illo comprobando comites habuit præcipuos ex latinis Episcopis. Quare Occidens Christi Vicarium secutus sese in sancti hujus cœtûs auctoritate suscipiendâ ad Orientem ad-

junxit. Illam auctoritatem summi Pontifices Pelagius I. & Pelagius II. eâdem ratione agnovêre, totique in eo fuerunt, ut Schismaticos, qui illius Concilii decreto non parebant, suâ benignitate sibi reconciliarent. Facilitatem illi quidem & patientiam adhibuere ; sed omnia priùs agere, pati, experiri decrevêre, quam quidquam remittere de illo decreto, cui facere volebant ut Schismatici denique obsequerentur. Nemo est qui nesciat S. Gregorium Magnum edidisse primis sui Pontificatûs temporibus quamdam fidei professionem, quâ & *sicut sancti Evangelii quatuor libros, sic quatuor Concilia suscipere & venerari se fatetur*, & illud adjungit. *Quintum quoque Concilium pariter veneror.... Quisquis ergo aliud sapit, anathema sit.* Martinus I. percelebri illo Concilio Lateranensi summam agnoscit auctoritatem *Sanctarum*, sic enim appellat, *& universalium quinque Synodorum*, atque eorum anathemata recitat. Vult, ut si quis ullâ ratione discesserit ab iis, quæ *accepimus à sanctis Apostolis, & Probabilibus Patribus, & universalibus quinque Synodis, anathema sit.* Et ipse Pater Lupus, quem sanè suspectum homines è sectâ habere non possunt, agnoscit *auctoritatem* hujus quinti Concilii *esse sum-*

L.1.Ep.24

Conc. tom. 6. Ep. Encycl. Mart. pag. 374.

Ib. p.378.

Not in v. syn p.738.

p. 775 *mam.* Fatetur *circa* illam *quæstionem à Romanâ Ecclesiâ, Gregorii præsertim Magni decretis, non licere nos discordare.* Sunt

p. 777. ejusdem hæc verba. *Istud nostræ synodi judicium confirmavit tandem omnis sub cælo Ecclesia* Deindè sic pergit, *à quâ quisquis discordarit, manifestus est temerator ac rebellis.* Eâdem planè ratione Leo II. de quinto Concilio scribit ad Imperatorem, dum sextam synodum confirmat. Prætereà & sexta synodus quintam synodum ratam habuit, cum decla-

Conc. tom. 6. p. 1020. ravit *se sanctis & universalibus quinque synodis piè in omnibus consonare.* Denique septima synodus declaravit quoque se

Tom. 7. Concil pag 55 & 179 p. 555. & 182. agnoscere *sanctas & universales sex synodos ..... Constantinopoli congregatum quintum Concilium.* Igitur Occidens cum Oriente conspirans se ad Sedem Apostolicam adjungit in illius Concilii œcumenicitate profitendâ, atque illius decretum duo generalia Concilia confirmarunt.

Jam verò quâ ratione schisma Occidentalium, qui malè erant adversùs istud Concilium affecti, sit extinctum, Pater

p. 744. Lupus ita narrat. *Sanctus Gregorius Magnus ..... ad Apostolicæ Sedis communionem reduxit Gallos, Italos, Iberos; in Schismate perstiterunt soli quidam Histriæ*

ac Venetiæ Episcopi ..... hæsit isthic malum usque ad Sergium primum Pontificem, de quo liber Pontificalis: hujus temporibus Aquileiensis Ecclesiæ Archiepiscopus, & synodus quæ sub eo congregata est, qui sanctum quintum & universale Concilium, utpotè errantes suscipere diffidebant ejusdem Beatissimi Papæ monitis atque doctrinis instructi conversi sunt, idemque venerabile Concilium cum satisfactione susceperunt. Intelligitis Sedem Apostolicam, quam sequitur *omnis sub cælo Ecclesia*, nihil unquam de hujus Concilii decreto remittere voluisse. Maluit ea pati extrema incommoda, quæ nasci necesse fuit ex illo Schismate, quod tenuit annos ferè centum & quinquaginta, quàm committere, ut cuiquam veniam daret non damnandi, etiam adjuncto anathemate, eos omnes, qui nollent trium textuum hæreticitatem credere. Quantæ igitur est offensionis atque invidiæ, quam nefariæ in Schisma propensionis, Concilium illud œcumenicum habere quasi cœtum quemdam obnoxium errori *Episcoporum Orientalium*, ita ut *mirum non deberet videri* ab *eo anathemata .... ultra fines legitimos extensa fuiße*, & per *cæcitatem nimiam* jus & factum *nullo discrimine habitum?*

2. Fruſtrà verò quis excipiat, Concilium illud hanc œcumenicitatem atque adeò infallibilitatem non obtinuiſſe niſi longo poſt tempore, neque eâ tùm prædituum fuiſſe, cum illam ſibi tribueret. Hæc ſi valeret argumentatio, poſſent etiam præcipua Concilia mendacii accuſari. Primum Conſtantinopolitanum Concilium, quo Spiritûs ſancti Divinitas fuit denunciata, conſtabat Epiſcopis duntaxat centum & quinquaginta. Concilium Epheſinum non erat ſanè frequens, cum tulit decretum, antequam Joannes Antiochenus cum ſuis Orientalibus ad illud acceſſiſſet. Fuere Concilii Tridentini ſeſſiones quædam, quibus interérant Epiſcopi non ſanè multi. Deindè Concilium ipſum nonniſi ſub finem ab Apoſtolicâ Sede confirmatum fuit. Quis tamen audeat dicere, Concilium ſibi falsò arrogaviſſe auctoritatem immunem ab erroris periculo, cum ſtatim ab initio ſic pronunciavit, *ſacro-Sancta ſynodus in Spiritu ſancto legitimè congregata ?* Quis audeat dicere Concilia hæc omnia falsò & nullo jure ſibi illud tribuiſſe, ut ſe œcumenica & errori non obnoxia eſſe gloriarentur ? Nonne verò Concilium totum quoddam morale eſt & ſucceſſivum ? Ubi Concilium eſt le-

gitimè convocatum, loquitur scilicet quemadmodum Concilium loqui decet: tribuit sibi auctoritatem eam summam, quam tum denique habebit, cum fuerint omnia confecta. Verùm de illâ auctoritate statui priùs non potest, quàm totum illud variis suis partibus constans fuerit absolutum. Ita quæ antecesserunt, suam à posterioribus veritatem firmitatemque consequuntur. Finis ipse robur addit iis, quæ sunt initio pronunciata. Igitur illud quod opponitur adversùs quintam synodum, ne dignum quidem est, ad quod paulò diligentiùs attendatur, cum & æquè ad alia Concilia transferri possit, quæ omnium consensu recepta sunt, & non minùs de quintâ synodo dici possint ea quæ Catholicus quivis de cœteris Conciliis generalibus debet dicere. Deniquè non id agitur, quale fuerit quintum Concilium, antequam esset ab Apostolicâ Sede & ab Occidente confirmatum; sed quale fuerit, postquam ille consensus accessit, atque omnium una vox, & conspiratio. Hujus nimirum Concilii, qnod jam certè œcumenicum est, & auctoritate infallibili præditum, decreto credere nos & parere jam oportet. Quid refert, quod infallibilitatem hanc vel paulò citiùs, vel

paulò serius obtinuerit, si illam certè nunc obtinet ? Quoniam ea jam vocari non potest in dubium, quid aliud superest, nisi ut inquiramus, quid decreverit, atque ejus decreto in hac de textibus dogmaticis controversiâ religiosè pareamus ? Hoc itaque jam unum agitur, an Concilium illud, quod fuit certè in decernendo immune à periculo erroris, decreverit se, vi ac fide promissionum divinarum, immune esse ab erroris periculo in dijudicandis tribus iis textibus, quæ tria Capitula dicuntur. Atque hoc mox agemus.

VIII.

De auctoritate illâ infallibili, quam sibi quintum Concilium tribuit.

DAbit nobis, ut quidem confidimus, æquus Lector hanc veniam, ut summatim ipsi postremam hujus Concilii celebris actionem exhibeamus ; undè plana ac manifesta fiet ea quam sibi tribuit, auctoritas immunis ab erroris periculo.

Primùm quidem *Diodorus Archidia-*

conus & primicerius Reverendissimorum Notariorum Concilii agit personam ejus quem nos in cœtibus Ecclesiasticis Promotorem vocamus. Revocat in memoriam Patrum rem eam ipsam, ob quam erant convocati. *Scit*, inquit, *vestra sancta synodus, quod ante aliquot dies in diversis conventionibus acta sunt quædam apud vos de Theodoro Mopsuesteno, & quæ impiè conscripsit Theodoretus, & impiâ Epistolâ, quæ dicitur Ibæ ad Marim Persam conscripta, & quod in ultimâ actione promisit vestra sancta synodus perfectam & synodicam sententiam imponere his quæ examinantur.* QUONIAM IGITUR AD HOC IPSUM CONVENISTIS, *suggerimus ad quod placuerit.* Priores actiones positæ fuerant in tribus textibus cognoscendis. Postremâ actione debebant iidem cum anathemate damnari. Hac Archidiaconi postulatione tres textus denunciantur esse vera causa, propter quam synodus coacta est, & de quâ *perfectam & synodicam sententiam* ferre debet.

Concil. tom. 5. p. 562.

Deindè synodi Patres sic loquuntur. *Quoniam igitur videbamus, quod Nestorii sequaces conati sunt per Theodorum impium, qui Mopsuestiæ fuit Episcopus, & impia ejus conscripta, & insuper per ea quæ impiè Theodoretus conscripsit, & per Epi-*

Ibid.

ſtolam ſceleratam , quæ ab Iba dicitur ad Marim Perſam ſcripta eſſe, ſuam impietatem Dei Eccleſiæ applicare, ideò ad eorum quæ movebantur correctionem ſurreximus, & pro Dei voluntate, & juſſione piiſſimi Imperatoris vocati ad hanc regiam urbem convenimus. Iterùm vera & convocati Concilii & ſententiæ ferendæ cauſa diſtinctè atque apertè proponitur.

Poſteà ſynodus Vigilium Summum Pontificem incuſat, quod cum pollicitus eſſet ſe venturum ut præeſſet Concilio, tamen ab eâ ſententiâ diſceſſiſſe videretur. Et iſta ſubjungit. *Nec enim juſtum eſt ampliùs ſcandalum pro tribus iſtis capitulis creſcere, & Dei Eccleſiam conturbari.* Itaque perpetuò tria capitula commemorantur tanquam id, de quo ſtatuere Concilium oportet.

Ibid.

Ibid.

Tùm Patres advertunt, *licet ſancti Spiritûs gratia & circa ſingulos Apoſtolos abundaret, ut non indigerent alieno conſilio ad ea quæ agenda erant, non tamen aliter voluiſſe de eo quod movebatur, ſi oporteret gentes circumcidi, definire, priuſquam communiter congregati* dicerent, *viſum eſt Spiritui ſancto & nobis.* Atque indè Patres conficiunt, debere Vigilium, nempe ipſorum caput, ad ipſos ſe adjungere, ut peractâ communi deliberatione,

p. 563.

possint de tribus textibus pronunciare id quod Apostoli Hierosolymis cum sancto Petro de Circumcisione pronunciaverunt, *visum est Spiritui sancto & nobis.* Nam quod *silentii obsequiosi deffensor* contendit hæc verba quæ à Patribus referuntur, pertinere ad auctoritatem Apostolici Concilii designandam, non ad ipsius quinti Concilii declarandam auctoritatem, tam manifestum est quàm quod maximè, quinti Concilii Patres Apostolorum Concilium sibi proposuisse tanquam exemplar quod sequerentur, atque illius adeò tantùm fecisse mentionem, ut ostenderent debuisse Vigilium accedere ad illud corpus, cujus ipse caput erat, ut omnes unâ voce atque sententiâ dicerent quod dictum fuerat à Concilio Hierosolymitano, *visum est Spiritui sancto & nobis.* Atqui planum est locutionem hanc esse constitutam, & quasi consecratam ad designandam eam auctoritatem infallibilem, quam obtinent œcumenica Concilia. Nunquam audebit Concilium ullum particulare & obnoxium errori dicere, *visum est Spiritui sancto & nobis.* Igitur ea locutio designat in quintâ synodo infallibilitatem, quæ aliunde totâ consequentis orationis serie manifestè demonstratur.

Hanc eamdem summam ac supremam auctoritatem Concilium sibi tribue-

Ibid. re pergit, proposito *sanctorum Patrum* exemplo, *qui per tempora in sanctis quatuor Conciliis ..... communiter de exortis hæresibus & quæstionibus disposuerunt.* Planum est synodi Patres, intellectâ Diodori postulatione, ut *perfecta & synodica sententia* de tribus textibus ferretur, significare voluisse se mox de iis tribus textibus *perfectam & synodicam sententiam* esse laturos, prorsùs ut *sancta quatuor Concilia* suo tempore *de exortis hæresibus* tulerant.

Ad eamdem supremam auctoritatem confirmandam pertinent ea, quæ à Concilio referuntur, varia promissionum divinarum verba, quibus Catholici solent adversùs hæreticos Protestantes infalli-

Ibid. bilitatem Ecclesiæ domonstrare. (*Amen dico vobis, si duo ex vobis convenerint super terram, de omni re quamcumque petierint, continget illis à Patre meo, qui in cælis est. Ubicumque enim fuerint duo aut tres collecti in nomine meo, ego cum eis sum in medio ipsorum.*) Adduut Concilii Patres & illud, *ne timeas, sed loquere, & ne taceas, quoniam ego sum tecum, & nemo poterit nocere tibi.* Hæc quidem oratio Patrum, dicendum est enim fæ-

piùs; ad Vigilium refertur, qui ipforum cœtui nolebat intereſſe. Sed quare tandem optabant ut Vigilius Summus Pontifex ad ipſos ſe adjungeret? Nempe ut Concilium cum ſuo capite conjunctum foret, atque ita poſſet Spiritûs ſancti nomine, & vi ac fide promiſſionum divinarum adversùs tres textus decernere. Atqui hoc ipſum eſt quod unum nos poſtulamus.

Eo conſtituto auctoritatis fundamento, Concilii Patres conteſtantur ſe *fidem illam tenere, quam Dominus noſter Jeſus Chriſtus verus Deus tradidit ſanctis ſuis Apoſtolis, & per eos ſanctis Eccleſiis, & qui poſt illos fuerunt ſancti Patres & Doctores Eccleſiæ creditis ſibi populis tradiderunt.* Ibid. Suſcipiunt priora quatuor Concilia, Nicænum, Conſtantinopolitanum, Epheſinum, Calchedonenſe, atque eos qui condemnati vel anathematizati *à prædictis quatuor Conciliis ſunt ..... condemnatos & anathematizatos habent.* Quâ quidem in re Concilium ſolemnem illam conſuetudinem ſervat initium faciendi à quâdam veluti fidei profeſſione, ut omnem amoveat ſuſpicionem novitatis, & ſignificet ſe tam longè abeſſe à veteribus Conciliis labefactandis, ut contrà non niſi eorum veſtigia perſequi velit. Atque

hoc nos non interpretando commenti sumus, sed ex ipsius Concilii verbis expressimus. Sic enim apertè Concilii Patres. *Cumque hæc ita confessi sumus, initium fecimus examinationis trium capitulorum.* Deindè sic pergunt. *Proposuimus priùs de Theodoro Mopsuesteno, & cum in medio prolata sunt blasphemia codicibus inserta, mirati sumus Dei in his patientiam, quod non divino igni statim incensa est lingua &c.* Quare *anathematismos contra Theodorum ut viventem & præsentem* faciunt, *propitius sis, Domine, dicentes, nec dæmones ausi sunt talia contra te loqui.* Jamverò sententiam hanc suam probant, non ex aliquâ quæstione habitâ de factis personalibus ac propriis, sed ex *impiis codicibus ejus*, quos *liceat volentibus præ manibus accipere*, & qui *gestis apud* Concilium *habitis inserti sunt.* Contendunt prætereà, posse *post mortem anathematizari*, & ignominiâ notari auctorem notum ac minimè dubium textûs cujuspiam manifestè blasphemi, atque id recitatis tum variis Patrum auctoritatibus, tum exemplis hæreticorum post mortem damnatorum explicant & confirmant.

Ibid.

Ib. p. 564.

Ventum deinde ad ea *quæ impiè à Theodoreto conscripta sunt contra rectam*

fidem, quæque gestis apud nos confectis, inquiunt Patres, *inseri perspeximus.*

Pergunt tertio loco *Epistolâ, quam dicitur Ibas ad Marim Persam scripsisse, ad examinationem propositâ, necessarium esse perspeximus & eam recitari. Statim igitur ex ipsâ lectione impietas ei inserta omnibus*, scilicet Concilii Patribus, *manifestata est.* Addunt, *Et oporteret quidem, usque ad hoc quæstione factâ, condemnationem & anathematismum trium prædictorum capitulorum facere.* Hic semper unus finis propositus videtur, ad quem tendant omnia. Ibid.

Neque verò Concilium omittit de iniquâ illâ Schismaticorum exceptione dicere, qui jactabant, *istam impiam Epistolam .... susceptam esse à sancto Calchedonensi Concilio.* Nos autem, inquiunt Concilii Patres, *necessarium esse putavimus per omnia ostendere, liberam esse sanctam synodum ab impietate quæ in Epistolâ continetur.* Quo loco prætermitti non debet, ut hoc obiter advertamus, sic videri quintæ synodi Patribus, synodum Calchedonensem non futuram fuisse *liberam .... ab impietate quæ in Epistolâ continetur*, si hanc Ibæ Epistolam approbasset. Enimverò ille fert decretum conceptis verbis hæreticum, qui pronun- Ibid.

ciat aliquo textu prorsùs hæretico nihil nisi fidem puram contineri. Quinta synodus adeò non sequitur illud quod dicerent homines è sectâ, Concilium Calchedonense, si Epistolam Ibæ probavisset, non erraturum fuisse nisi in *facto momenti nullius*, ut contrà denunciet tùm fieri non potuisse, ut *libera esset sancta synodus ab impietate quæ in Epistolâ continetur*. Quare quintæ synodi sententia est, synodum Calchedonensem errare in eo textu dijudicando non potuisse, siquidem omninò necesse est ut *libera sit ab impietate* seu hæresi *quæ* textu illo *continetur*. Atque ut Patres *per omnia ostendant*, *liberam esse sanctam synodum* Calchedonensem à

Ib. p. 567. tam impiâ approbatione, *conferunt ea quæ in Epistolâ & quæ in definitione* synodi Calchedonensis *continentur*, *quo facto*, inquiunt *demonstratum est*, *contrariam per omnia Epistolam esse his quæ in definitione continentur*. In quo nimirum certum illud haberi volunt, fieri omninò non posse, ut in his textibus dijudicandis synodus sibi ipsa contradicat. Et illud prætereà advertunt, Concilii Calchedonensis Patres *Ibam non alio modo suscipere sustinuisse, nisi impietatem quæ in Epistolâ continetur condemnasset*. Tum exclamant, *Quæ enim, ut verè dicamus, partici-*

participatio est justitiæ & iniquitatis? Et quæ societas est luci cum tenebris? Quæ autem conventio est Christi cum Belial? aut quæ pars est fideli cum infideli? quæ autem est commixtio templi Dei cum Idolis? Quasi dicerent contingere nullâ ratione posse, ut Ecclesia errore facti labatur ad textum hæreticum approbandum, quemadmodum fieri non potest, ut luci cum tenebris, Christo cum Belial, templo Dei cum Idolis unquam conveniat. Fuit igitur hæc manifesta Concilii sententia, non potuisse Calchedonensem synodum errare in Ibæ textu dijudicando. Atque hâc in re causam Ecclesiæ facilè omnibus hominibus quamlibet morosis approbabimus, si nominibus solis commutatis, de Jansenii textu dixerimus ea, quæ totidem verbis quinta synodus pronunciavit de tribus textibus, quæ tria capitula nuncupantur.

(Omninò necesse est ut ad damnandum Jansenii textum Ecclesiæ caput se ad Episcoporum corpus adjungat, atque ita sit omnium hęc una vox, unusque sensus, *visum est Spiritui sancto & nobis* hujus textûs hæreticitatem denunciare. Si Ecclesia textum hunc damnasset, neque ille tamen quidquam alienum à purâ fide complecteretur, hujus textûs Anti-

pelagiani damnatio ipsi textui contradicens foret ipsis verbis Pelagiana. Tum verò Ecclesia *libera* non foret *ab impietate* Pelagianâ. Tum verò miscuisset lucem cum tenebris, Christum cum Belial, templum Dei cum Idolis. Atqui non posse illud unquam contingere, Divinæ promissiones docent.)

Hoc ipsum existimandum est de Ecclesiæ judicio adversùs Jansenii textum, siquidem hoc idem quinta synodus existimavit, de Concilii Calchedonensis judicio adversùs tria capitula. Eo fundamento posito, synodus declarat se *tria* Ib. p. 568. *capitula anathematizare ..... & deffensores eorum, & qui scripserunt vel scribunt ad deffensionem eorum, vel recta ea dicere præsumunt, &c.*

Post illud veluti proœmium, quo via sternitur ad anathematismos, atque eorum auctoritas stabilitur, Concilium iterùm denique declarat decretum mox consequens promissionum divinarum vi Ibid. ac fide niti. *His ita cum omni subtilitate dispositis*, IN MEMORIA TENENTES PROMISSIONES DE SANCTA ECCLESIA FACTAS, ET QUI DIXIT, QUOD PORTÆ INFERI NON PRÆVALEBUNT ADVERSÙS EAM, *id est, hæreticorum mortifera lingua; recordantes autem* ET QUÆ

PER OSEAM DE EA PROPHETATA SUNT, IN QUIBUS DICIT : ET SPONSABO TE MIHI IN FIDE , ET COGNOSCES DOMINUM : *hæreticorum quidem effrenatas linguas, & eorum impiissima conscripta, & eosdem ipsos hæreticos, qui usque ad mortem in suâ impietate permanserunt, patri mendacii diabolo connumerantes ...... necessarium esse putavimus capitulis comprehendere & prædicationem veritatis, & hæreticorum, necnon eorum impietatis condemnationem.*

In hæc verba desinit proæmium, cujus sententias breviter repræsentavimus. Eo videntur duo potissimùm spectari. Primum ut ostendatur manifestè, quidnam sit illud de quo synodus est decretura. Alterum, ut ex promissionibus divinis probetur auctoritas infallibilis, quâ decretum nitetur. Non satis est Concilio hanc auctoritatem adhibere, sed præterea & monet hanc ipsam à se tùm adhiberi, & ex promissionibus divinis docet liberam sibi atque integram concessam esse illius adhibendæ potestatem. Non aliud profectò fuit divinæ providentiæ consilium in re adeò singulari procurandâ, nisi ut hujus Concilii auctoritate convinceretur eorum pervicacia, qui nostrâ hâc ætate ut suum in pari

causâ errorem contegant, ad effugia vel maximè invidiosa delabuntur. Ita Dei providentia jam ab annis ferè mille & ducentis fundamenta constituebat hujus controversiæ, quam hodie Ecclesiæ necesse est adversùs Jansenii discipulos deffendere. Cum hæc synodus de synodo Calchedonensi verba facit, denunciat fore ut illa si Ibæ textum approbasset, *libera* non esset *ab impietate, quæ in Epistolâ continetur*; affirmat hanc fore quamdam *commixtionem* lucis cum tenebris, & Christi cum Belial, & Templi Dei cum Idolis, quod ne unquam contingere posse credatur, promissiones divinę prohibent. Cum hæc synodus loquitur de Anathematismis mox à se proferendis, postulat ut Vigilius veniat cum aliis synodi Patribus dicturus, *visum est Spiritui sancto & nobis* tres hos textus damnare. Tum addit ista, *Amen dico vobis, si duo* &c. *Ubicumque fuerint duo aut tres collecti* &c. *Ne timeas sed loquere .... quoniam ego tecum sum* &c. Denique commemorat *promissiones de sanctâ Ecclesiâ factas .... portæ inferi non prævalebunt .... sponsabo te mihi in fide* &c.

Et verò id agebatur, ut servaretur fides perculsis anathemate textibus iis, qui adversùs illam *ut cancer serpebant*;

Id agebatur ut decernerentur anathematismi, qui non minùs profectò sunt veri canones, cum adversùs tres textus longiores proferuntur, quam si proferrentur adversùs textus alios breviores. Quare synodus promissionibus divinis non minùs nititur, quàm priora *sancta quatuor Concilia*, quorum & se exempla sequi profitetur, & auctoritatem omnem obtinet.

Hoc absoluto proœmio, decernit synodus quatuordecim suos anathematismos, qui sunt veri totidem canones. Undecim prioribus summatim recensentur judicia contra varias hæreses in Conciliis superioribus prolata. Iis damnantur *Arius*, *Eunomius*, *Macedonius*, *Apollinaris*, *Nestorius*, *Eutyches & Origenes*.

Anathematismus duodecimus attingit veram convocati Concilii & decreti ferendi causam. Ejus verba sunt. *Si quis deffendit impium Theodorum Mopsuestenum, qui dixit alium esse Deum Verbum, & alium Christum .... & super alias innumerabiles blasphemias ausus est dicere* &c..... *etiam in interpretatione quam in actus Apostolorum scripsit Theodorus, similem fecit Christum Platoni..... Si quis igitur deffendit prædictum impium Theo-* Ib. p. 575. & 578.

dorum .... & non anathematizat eum, & impia ejus conscripta; & omnes qui suscipiunt vel deffendunt eum, ET DICUNT ORTHODOXE EUM EXPOSUISSE .... *talis anathema sit.*

Decimus tertius hæc verba complectitur. *Si quis deffendit impia Theodoreti conscripta ..... & non anathematizat ea, & eos qui similia eis sapuerunt vel sapiunt, ... talis anathema sit.*

Ibid.

Decimus quartus est ejusmodi. *Si quis deffendit Epistolam, quam dicitur Ibas .... scripsisse &c. si quis igitur memoratam impiam Epistolam deffendit, & non anathematizat eam & deffensores ejus*, ET EOS QUI DICUNT EAM RECTAM ESSE, VEL PARTEM EJUS, *& eos qui scripserunt vel scribunt pro eâ, vel pro impietate quæ in eâ continetur, & præsumunt* EAM *deffendere* VEL INSERTAM EI IMPIETATEM ..... *& in his usque ad mortem permanent, talis anathema sit.*

Ib. & 579.

Postremò definit Concilium in eamdem sententiam à quâ exordium fecerat. Profitetur eam se doctrinam summo studio retinere, quæ divinis scripturis, sanctorum Patrum traditione, decretis quatuor priorum Conciliorum continetur. Qui verò tria capitula quasi Catholica deffendunt, atque in eâ sententiâ perma-

sent, hos jubet si Episcopi sunt vel Clerici, suo gradu dejici, si Monachi sunt vel Laici, damnari anathemate. Hic est totius quintę synodi finis

Ex his quæ summâ fide excerpta retulimus, manifestè conficitur, quintam synodum, quæ habetur ab omnibus œcumenica, atque adeò immunis ab erroris periculo in iis causis, quas ipsa Ecclesia absque erroris periculo dijudicare potest, verbis apertis ac minimè ambiguis infallibilitatem hanc sententiæ suæ tribuisse. Id unum restat, ut videamus quò pertineat hæc sententia, quam synodus promissionum divinarum vi ac fide tam clarè pronunciat minimè esse obnoxiam errori. His jactis fundamentis, quidquid jam homines è sectâ auderent comminisci ad labefactandam sive Concilii œcumenicitatem, sive sententiæ ab eo latæ infallibilitatem, nihil haberet præter futilem contentionem, & Catholicis omnibus odiosam. Necesse est ut homines è sectâ, si quid habent pudoris ac bonæ fidei, apertè fateantur, hujus Concilii decreto totam, quanta quanta est, auctoritatem Ecclesiæ universæ contineri, Ecclesiam esse, quæ & sententiam tulerit, & eam, quam tulit sententiam, pronunciaverit esse vi ac fide promissio-

num divinarum immunem ab erroris periculo. Id ubi confessi fuerint, supererit hoc unum, ut se ad nos adjungant in investigando, quò præsertim hæc infallibilitas adeò certa referatur. Atque hoc ipsum est quod nos mox agemus.

I X.

De infallibili quintæ synodi auctoritate, quæ non ad hæreses jam anteà damnatas, sed ad tres textus refertur.

FRustrà homines è sectâ præsidium aliquod habere se confidunt in eo quod comminiscuntur, auctoritatem immunem ab erroris periculo, quam sibi synodus illa tam apertè tribuit, pertinere non ad tres textus, verùm ad antiquas hæreses, quæ jam anteà fuerant superioribus Conciliis damnatæ, & prioribus undecim anathematismis appellantur.

1. Nemo est qui nesciat antiquas illas hæreses jam fuisse à prioribus Conciliis damnatas. Quare jam erant illæ omnes causæ finitæ. Rem anteà dijudicatam iterùm ad judicium vocari non patiebatur constans & perpetua Ecclesiæ con-

ſuetudo. *Magnoperè præcavemus*, verba ſunt Gelaſii Papæ, *ne cujuſlibet hæreſis ſemel dejecta pernicies ad examen denuò venire contendat*. Tam notum & pervulgatum eſt, quàm quod maximè, ſynodum quintam non fuiſſe convocatam propter hæreſes Arii, Eunomii, Macedonii, Appollinarii, Neſtorii, Eutychetis aut etiam Origenis. Qui vel priores ſeptem collationes ſive ſeſſiones legerit, is nihil deprehendet præter quæſtiones ac diſceptationes prævias ad tria capitula dijudicanda. Planum eſt priores undecim anathematiſmos non fuiſſe præfixos tribus poſterioribus, niſi tanquam aliquam fidei profeſsionem: *Cumque ita confeſſi ſumus*; Ideò commemorantur breviter antiquæ hæreſes jam damnatæ, ut manifeſtum fiat ſynodum nihil novi moliri, neque de Concilii Calchedonenſis auctoritate convellendâ cogitare, quod Schiſmatici putabant, neque erroribus Origenis favere, quod homines quidam exiſtimari volebant. Eò pertinet id quod tam ſæpè ſynodi Patres declarant, ſe prioribus Conciliis aſſentiri.

Ep. 5. ad Honor. tom. 4. Concil p. 1172.

2. Quis verò credat Concilium tantam operam fuiſſe poſiturum in infallibilitate ſuâ ex promiſsionibus divinis comprobandâ, ſi eam adbibere dumtaxat

voluisset ad condemnandas inani studio hæreses eas, quæ & solemni ritu jam erant damnatæ, & de quibus non poterat jam in Ecclesiâ quæstio ulla haberi? Quis vero credat hanc infallibilitatem tam apertè, tam definitè propositam pertinere tantùm ad causas jam pridem finitas, non ad tres textus, de quibus solis tanta erat animorum contentio, & propter quos dumtaxat ipsa synodus erat convocata? Sed Concilium in hac re nullum dubitationi relinquit locum. Nam Archidiaconus quidem suâ postulatione postquam tres textus nominatim recensuit, sic habet, *Quoniam igitur ad hoc ipsum convenistis;* postulat a synodi Patribus *perfectam & synodicam sententiam*, nimirum non de iis quæ jam pridem erant definita, neque poterant ad judicium revocari, sed ut ipse loquitur, de *his quæ examinantur*, de *his ipsis ad* quæ tum temporis synodus *convenerat*. Deindè vero Patres affirmant *impia* illa *conscripta* pestem afferre posse, tum addunt *Ideò ad eorum quæ movebantur correctionem surreximus, & pro Dei voluntate & jussione piissimi Imperatoris vocati ad hanc regiam urbem convenimus*. Denique toto Concilio, si à capite ad calcem percurratur, nusquam comperietur actum esse

de antiquis illis hæresibus de integro cognoscendis. Imò comperietur semper actiones seu collationes priores septem esse ad octavam instruendam accommodatas, de tribus dumtaxat capitulis quæri, nullam aliam rem in judicium aut controversiam vocari. Igitur ille censeretur manifestè Concilio illudere, qui vellet ejus auctoritatem infallibilem pertinere ad causas jam à tot annis finitas, & quas nemo retractari volebat, non ad eam causam, propter quam unam synodus erat convocata, quam unam dijudicandam habebat. Aiebant Episcopi *non justum esse ampliùs scandalum pro tribus istis capitulis crescere, & Dei Ecclesiam conturbari. Et pro his ad memoriam ejus perduximus, magna illa Apostolorum exempla & Patrum traditiones.* Quodnam est illud nominatim, de quo decernitur? Nempe id cujus causâ synodus cogitur, id quod à synodo cognoscitur. Jam quid est illud, cujus causâ synodus cogitur? Quid est illud quod à synodo cognoscitur? Nempe *scandalum pro tribus illis capitulis crescens*, quo *Dei Ecclesia conturbatur.* Idne agunt homines è sectâ, ut existimentur distinctiùs intelligere quare sit coacta synodus, quid habeat cognoscendum & dijudicandum, quàm ipsa synodus intellexerit?

3. Hâc in re homines è sectâ suâ confessione teneantur atque induantur necesse est. Ostendimus quintam synodum, fatentibus & Patre Lupo sectæ studioso, *& deffensore omnium Theologorum* & scriptore trium Epistolarum, nihil decrevisse nisi de tribus capitulis. Hoc ut probarent illi homines è sectâ, adduxêre testimonia Pelagii utriusque, sancti Gregorii, Cassiodori, Cardinalium Palavicini, Daguirre & Laurea. Illi scriptores aiunt. *Nullam* ab hâc synodo factam esse *novam de fide definitionem*. Addunt eam synodum *ex professo, ut tria capitula examinaret, convocatam fuisse.* Hoc volunt, *controversiam non fuisse de ullo articulo, qui ad Ecclesiæ auctoritatem nulli obnoxiam errori spectaret.* Affirmant *in eo Concilio non fuisse de aliquo dogmate disceptatum, sed de mero facto non revelato ad textus spectante &c.* Pater Lupus sic habet: *ad nullam dogmatis quæstionem convenit hæc synodus, nulla per ipsam tractata aut damnata fuit nova hæresis, sed Ephesinæ & Calchedonenses adversùs Nestorium & Eutychetem definitiones fuerunt dumtaxat confirmatæ, eorumque nova quædam ad dictas definitiones eludendas machinamenta novis anathematibus retusa. Et Vigilius Pontifex,*

Defens. Theolog. p. 52. 53.

Auctor. trium Epist. p. 20.

p. 741.

(istud verò decretorium est & diligenter advertendum, *in litteris confirmatoriis nullam de ullo, ne quidem de Origenis dogmate facit mentionem, sed solorum trium capitulorum damnationem confirmat.* Quare fatente P. Lupo Sedes Apostolica cum Occidente universo quintam synodum non confirmavit nisi in trium capitulorum causâ. Ergo ea quam sibi synodus illa tribuit, auctoritas immunis ab erroris periculo, non potest nisi ad hos tres textus pertinere.

4. Meminisse debent homines è sectâ, quàm sæpè cum de illo, ut vocare amant, trium capitulorum facto verba facerent, laudaverint ista Pelagii Papæ & S. Gregori verba, schisma perdurasse *pro superfluis quæstionibus, talem scissuram pro re nullâ factam esse.* His nempe summorum Pontificum sententiis efficere homines è sectâ volebant, nullam rem in eo Concilio fuisse disceptatam, quæ alicujus momenti foret ad juris controversiam. Quo igitur ore jam illud nobis opponerent, Concilium statuisse de controversiis fidei adversùs Nestorianam heresim cum eâ auctoritate infallibili, quæ ad tres textus non pertineat?

5. Nihil verò fingi potest absurdius, quàm velle hujus Concilii anathemata ad

Nestorianam sectam pertinere, atque adeò non damnari ab Ecclesiâ eos qui trium capitulorum factum deffendebant, nisi quia sic persuasum erat, eos illud nomen adhibere ad juris controversiam, hoc est ad hæresim Nestorii propugnandam. Quid enim esset minùs utile, quid magis ridiculum, quàm anathemate damnare, hoc est ab Ecclesiæ Catholicæ communione segregare sectam Nestorianam, quæ & jam ab annis ampliùs centum & viginti fuerat segregata, & de reconciliatione nullo pacto cogitabat? Tanquam si, nam eadem prorsus est ratio, Ecclesia jam immenso labore suscepto ad cogendum Concilium, id unum ageret ut à suâ communione disjungeret Protestantium sectam, quæ jam à sæculo decimo sexto disjuncta est, & anathemata nostra sic contemnit, ut etiam communionem nostram detestetur. Quid est magis alienum à gravitate, quàm si statuatur id quod sectæ res & causa postulat, coactum fuisse Concilium œcumenicum tanto labore, tantâ contentione, tanto Schismatis horrendi periculo, ut nimirum Spiritûs sancti nomine fieret id quod jam factum erat, & ante annos centum & ampliùs absolutum?

6. Merum commentum est illa sectæ

Neſtorianæ damnatio. Verùm damnatio innumerorum ex Occidente Schiſmaticorum ſic apparet atque extat in hoc Concilio, ut non videri, non ſentiri nequeat. Erant plurimæ ex Africâ, ex Hiſpaniâ, ex Hiberniâ, ex Galliis, ex Illyrico, ex Dalmatiâ, ex Iſtriâ Eccleſiæ, quæ trium capitulorum damnationem repudiabant & execrabantur, quaſi non poſſet illa cum auctoritate Calchedonenſis Concilii conſiſtere. Illi omnes ex Occidente Schiſmatici longiſſimè aberant à Neſtorii, Arii, Macedonii, Eutychetis vel Origenis erroribus. Non errabant illi in eâ, quam homines è ſectâ vocant juris controverſiam, neque contendebant niſi de eo quod aiunt eſſe factum in trium textuum hæreticitate poſitum. Imò non repudiabant quintam ſynodum, niſi quia Concilii Calchedonenſis infallibilem in textibus dijudicandis auctoritatem ſalvam atque illibatam volebant eſſe. Hi ſunt præſertim, ad quos nominatim anathemata pertinebant. Hi ſunt quos pia mater Eccleſia tam diu, tam benignè ſuſtinuit, ſummam hominum rudium inſcitiam atque ignorationem miſerata. Verùm illi denique non ſunt ad Sedis Apoſtolicæ communionem admiſſi Sergii I. temporibus, niſi poſtquam, ut vi-

dimus, suum in trium capitulorum causâ errorem agnovêre. Maluit Ecclesia vel extrema quęque experiri, atque ipsum schisma ferre, quàm remittere quidquam de auctoritate infallibili, quâ tres textus in quinto Concilio damnati fuerant.

7. Illud tamen minimè negaverim, synodum esse veritam, ne versuti & callidi Nestoriani tribus his textibus abuterentur ad Catholicos inducendos in errorem. Sed quid fit indè consequens? Quis verò nescit Ecclesiam numquam de textibus damnandis agere, nisi quia videntur idonei ad disseminandum errorem, nunquam de eo quod factum vocant decernere, nisi quia factum illud maximè pertinet ad juris controversiam? Quod olim in trium capitulorum causâ, id ipsum nostrâ ętate in Janseniani libri causâ contigit. Verebatur Ecclesia in quintâ synodo, ne forte Nestoriani inter Catholicos, sive Schismaticos sive alios, mixti & delitescentes tribus his textibus abuterentur ad hæresim suam instillandam. Ita prorsùs Ecclesia nunc timet, ne Protestantes atque alii necessitantis gratiæ patroni textum Jansenii adhibeant ad hæreticum dogma gratiæ hujus, quæ non potest cum libero arbitrio consistere, proponendum aliis vocibus

cibus delectationis indeclinabilis & insuperabilis, quam necesse sit ut voluntas sequatur. Verebatur quidem synodus, ne trium capitulorum textus ut cancer serperet, existimabat *Nestorii sequaces* id agere, ut per tres illos textus pestilentes *suam impietatem Dei Ecclesiæ applicarent*; sed Concilii denique judicium directè atque immediatè spectabat tres illos textus, quos adhibere Nestoriani poterant ad Catholicos pertrahendos in errorem, dum Schismatici Catholici damnationem eorumdem textuum tantâ animorum contentione repudiarent. Et primi quidem Schismatis auctores, qualis fuit Facundus, ab hæresi Nestorianâ verè ac sincerè alieni erant. Cœteri qui posteà Schisma deffenderunt, tantùm aberant ab eo, ut tres hos textus usurparent ad Nestorianam hæresim propugnandam, ut eos ne nossent quidem, neque verò sic deffenderent, ut de iis unquam cognoscendis cogitarent. *Latini quippe homines*, ut ait Pelagius II. *& Græcitatis ignari, dum linguam nesciunt, errorem tardè cognoverunt*. Ideò tantùm contendebant, quia verebantur, ne labefactari videretur auctoritas Concilii Calchedonensis, à quo scilicet Epistolam Ibæ fuisse comprobatam falsò sibi per-

ſuaſerant. Atque inde factum eſt, ut Ecclesia tamdiu eorum ignorantiam miſeraretur. Inde factum eſt, ut ipſis diceretur, in ſchiſmate permanetis *pro quæſtionibus ſuperfluis, pro quæſtione nihili, pro re nullâ.* Sed Eccleſia, quæ tantam in iis ſuſtinendis patientiam exhibuit, nunquam ſe tamen adduci paſſa eſt, ut ſpe ſedandi Schiſmatis anathemata ſua revocaret. Hi ſunt nimirum Catholici pervicaces, ad quos anathemata pertinent. Illi omnes Schiſmatici in juris quæſtione adversùs Neſtorianam hæreſim prorsùs conſentiebant, de ſolâ facti controverſiâ poſitâ in trium textuum hæreticitate litigabant. Adversùs eos præſertim vibrata ſunt Eccleſiæ anathemata, & diligenter propugnata per annos ferè centum & quinquaginta, quibus ſchiſma perduravit.

8. Atque hæc nos cum dicimus, non modò nitimur evidentiâ facti, quam illiùs ætatis hiſtoria ſuppeditat, & minimè dubiâ noſtrorum adverſariorum confeſſione, verùm etiam claris ac decretoriis Concilii verbis. Quippe Concilium damnat eos qui *deffendunt* Theodorum, *& dicunt orthodoxè eum expoſuiſſe*, hoc eſt ſcripſiſſe Catholicè. His ſanè verbis deſignantur omnes illi ex Occidente Ca-

tholici, qui Concilii Calchedonensis studio ducti sibi falsò persuaserant tria capitula sensum aliquem orthodoxum habere, atque in eâ sententiâ manebant obstinati. Concilium prætereà de Epistolâ Ibæ sic ait : *Siquis non anathematizat eam, & deffensores ejus, & eos qui dicunt eam rectam esse vel partem ejus*, hoc est, puram à Nestorianâ labe, atque illi oppositam, *& eos qui scripserunt, vel scribunt pro eâ vel pro impietate quæ in eâ continetur ...... talis anathema sit.* Hæc particula, quam disjunctivam vocant, *pro eâ* VEL *pro impietate* &c satis ostendit à Concilio damnari non modò Nestorianos intra sinum Ecclesiæ delitescentes, qui possent deffendere Nestorianam *impietatem quæ in eâ* Epistolâ *continetur*, sed etiam Catholicos Schismaticos, qui licet *impietatem* illam non deffenderent, deffenderent tamen ipsam pestilentem Epistolam, quâ impietas illa continetur. Denique synodus nullum vanis sectæ artibus relinquit locum, dum aptè distinguit Nestorianos delitescentes, qui tribus his textibus abuti poterant, à Catholicis Schismatis auctoribus. Apertè ac nominatim utrosque damnat. Vult anathemata sua pertinere, vult à se *damnationem* esse *factam* non modò *contra* Ib. p. 579.

hereticos & eorum impietatem, ſed *etiam contra eos qui deffenderunt vel deffendunt prædicta impia tria capitula.* Non habet igitur *obſequioſi ſilentii deffenſor* excuſationem ullam, cum eo nomine conatur quinti Concilii auctoritatem imminuere. *Mirum verò*, inquit, *non deberet videri, quod in illo Epiſcoporum Orientalium Concilio .... Catholici & Neſtoriani nullo diſcrimine fuiſſent habiti.* Imò verò jam omnes intelligunt diſcrimen fuiſſe inter Catholicos & Neſtorianos diligenter à Concilio conſtitutum. Damnat quippe & *hæreticos & eorum impietatem*, *nec non etiam eos qui deffenderunt* &c. hoc eſt Catholicos Schiſmaticos, qui aiebant Theodorum *orthodoxè expoſuiſſe*, & Epiſtolam Ibæ *rectam eſſe*, id eſt Catholicam & orthodoxam. Patet igitur & quintam ſynodum eſſe œcumenicam, & abſque erroris periculo denunciaſſe adhiberi à ſe ſuam infallibilitatem, & infallibilitatem eam hoc pacto denunciatam pertinere non ad hæreſes jam damnatas, ſed ad trium textuum hæreticitatem, quæ ſola fuerat convocandi Concilii cauſa. Id unum jam ſupereſt, ut oſtendamus anathemata Concilii ſpectare non mentem auctorum propriam ac perſonalem, ſed ipſam textuum ab iis conſcriptorum hæreticitatem.

X.

De infallibili quintæ synodi auctoritate, quæ cum non possit pertinere ad tres ipsos scriptores, necesse est ut ad eorum textus pertineat.

SUmmus quidem Pontifex Pelagius II. cum Schismaticos reducere niteretur, aiebat quintam synodum pro suo jure potuisse, *quidquid Calchedone extra fidei causas de personis gestum est retractare.* Addebat totam hinc controversiam esse *pro quæstionibus superfluis.* Sanctus Gregorius queritur *talem scissuram pro re nullâ factam esse;* Neque illud negari potest, Theodorum ipsum Mopsuestenum cum suis scriptis à Concilii Patribus anathemate damnari. Indè nimirum effici volunt homines è secta, non potuisse quintam synodum absque erroris periculo pronunciare, siquidem ejus anathemata non magis pertinent ad trium textuum hæreticitatem, quam ad mentem Theodori Mopsuesteni propriam atque intimam, in quâ dijudicandâ fatentur omnes non potuisse quintæ synodi

auctoritatem esse ab omni erroris periculo sejunctam. Sed hoc totum subtiliùs excogitatum esse quam veriùs, ita nos ostendimus.

1. Manifestum est Concilium Calchedonense non egisse de ullo ex tribus textibus dogmaticè cognoscendo, sed tantùm de Theodoreto atque Iba restituendis in suas Sedes, postquam illi planè & absque ullâ exceptione paruerant. Schismatici verò, qui erant Pelagii primi & S. Gregorii temporibus, tres ipsos textus non discutiebant, *latini quippe homines & Græcitatis ignari*, *linguam* quâ erant textus illi conscripti, omninò *nesciebant*. Hoc unum deffendebant, non posse in quintâ synodo trium auctorum personas affici ignominiâ, neque verò posse eorum scripta damnari, ut non ignominia ad ipsas personas redundaret. Aiebant Theodorum quidem Mopsuestenum mortuum esse in Ecclesiæ pace, reliquos verò duos à Concilio Calchedonensi suis sedibus fuisse redditos. Pelagius II. contrà & S. Gregorius reponebant, Schismaticos manere *pro superfluis quæstionibus ab universali Ecclesiâ segregatos*, pro quæstione nihili, *pro re nullâ*. 1. Quidem, quia non verè dicitur hanc esse Ecclesiæ consuetudinem, ut

mortuorum memoriam nunquam damnet. 2. Quia illæ Concilii Calchedonensis actiones, quibus Ibas & Theodoretus honorificè tractati fuerant, cum non essent à S. Leone confirmatæ, carebant eâ auctoritate infallibili, quæ Concilii œcumenici propria est. Quare duo illi Pontifices non indagabant diligentiùs quid foret ab his duabus synodis gestum, quarum altera personas tantùm admiserat, textibus ipsis non discussis, altera textus ita damnaverat, ut personas non afficeret ignominiâ. Quippè Schismatici illi rudes, *imperiti stultique*, quemadmodum eos S Gregorius appellat, duo ista non satis distinguere poterant. Itaque totum istud sapientissimi Pontifices ut breviter expedirent, aiebant eas Concilii Calchedonensis actiones, quæ vocabantur in controversiam, non esse Concilii œcuménici decreta ab omni erroris periculo sejuncta. Illæ erant *superfluæ quæstiones*, illa quæstio nihili, *res nulla*. Sed longè aberant illi duo maximi & gravissimi Pontifices ab eo, ut quæstionem de hæreticitate trium textuum, qui *ut cancer serpunt* adversùs fidem, dicerent esse *superfluam quæstionem*, *rem nullam*. Nescire non poterant synodum œcumenicam promissionum divinarum fide, &

Spiritûs sancti nomine decernentem non de *re nullâ* decernere. Norant quid quinta synodus, quam & ipsi ratam habuerant, & ab omnibus ratam haberi tanto studio jubebant, de suâ adversùs tres illos textus auctoritate pronunciasset, neque quidquam volebant in eâ re unquam remittere. Synodus ita loquitur in eo veluti proœmio, quod anathematismis præfixum est: *quando de fide ratio movetur ..... nos .... festinamus bonum fidei semen purum conservare ab impietatis zizaniis, quæ ab inimico inseminantur. Quoniam igitur videbamus, quod Nestorii sequaces conati sunt per ..... impia* illa scripta ..... *suam impietatem Dei Ecclesiæ applicare .... ad hanc regiam urbem convenimus.* Deindè subjungit : summus Pontifex Vigilius pollicitus erat facturum se, ut *in Concilio conveniret & disceptaret unà nobiscum de his tribus capitulis, ut definitio communiter ab omnibus nobis præbeatur* FIDEI RECTÆ *conveniens .... sacerdotes decet communibus quæstionibus* FIDEM COMMUNEM *imponere.* Igitur ille volens cœcutiat, qui non videat quintæ synodi hanc esse sententiam, eas de textibus controversias quas dijudicat, esse longè maximi ad fidem momenti. Imò & synodum illam, quam omnes esse œcu-

p. 562. & seq.

menicam jam agnoscunt, & subsequentes duas generales synodos, à quibus illa confirmata est, summo dedecore vellet afficere, quisquis auderet deffendere, illam & esse convocatam & decrevisse dumtaxat de *superfluis quæstionibus*, *de re nullâ*. Summi duo Pontifices Pelagius II. & S. Gregorius Magnus, qui tantam lenitatem cum tantâ constantiâ conjunctam adhibuerunt; ut Schismaticos quintæ synodi decreto absque ullâ exceptione parere cogerent, longè aberant ab eo, ut quintam synodum dicerent nonnisi de *superfluis quæstionibus* decrevisse. Imò verò Sedes Apostolica pati maluit innumera Schismatis & maximè diuturni & latissimè patentis incommoda, quam quidquam remittere de trium textuum hæreticitate, quæ fuerat promissionum divinarum vi ac fide ab illo Concilio dijudicata. Et sanè quid est momenti majoris ad fidem, quam *eos qui* sanæ doctrinæ *contradicunt*, *arguere*? Quid erit tandem, ad quod pertinere debeant Concilii canones atque anathemata, si non pertinent ad tres textus hæreticos, qui *ut cancer serpunt* adversùs fidei depositum?

2. Verè Pelagius II. & prorsùs accuratè dicere potuit à Calchedonensi Con-

cilio post actionem sextam nihil nisi *extra fidei causas de personis gestum esse.* Enimverò synodus judicaverat dumtaxat de Theodoreto atque Iba restituendis in suas Sedes, postquam S. Leonis Epistolam ratam habuerant, & Nestorium verbis planis atque apertis damnaverant. Synodus illa, quod & animadversum est à quintâ synodo, longè abfuerat ab eo, ut duorum horum scriptorum textus dogmaticè probaret. Quare nihil est illud, quod ex Pelagii II. verbis adversarius noster elicere contendit, ut nobis opponat. Ea verba, si vel rigidissimè spectentur, nihil prorsùs adversùm nos facere comperiuntur.

3. Neque verò mirari quisquam debet varios Theologos, dum de his duobus Conciliis verba facerent, non satis distinxisse & secrevisse facta duorum illorum auctorum propria ab hæreticitate seu orthodoxiâ textuum ab iis conscriptorum. Familiare illud est atque in quotidianâ loquendi consuetudine maximè vulgatum, ut ipsi auctori tribuatur sensus ille qui ejus textu continetur, quamvis sæpè contingat, ut sensus ille qui textûs solius proprius est, longè differat à propriâ atque intimâ scriptoris mente. Nonne dici solet (id docet S. Tho-

mas) nimirùm ut intelligatur id ex S. Thomæ textu confici & exurgere? Nonne tralatitium est dicere (equidem illi scriptori assentior) hoc est nimirum sentio prorsùs id quod liber illius exhibet ac repræsentat ? Imò nonne vulgò dicitur exempli causâ, Origenem varios errores tradere, quia errores illi in ejus textu jam occurunt, licet nemo nesciat ingentes extitisse controversias, num errores illi ab ipso profecti sint, num adjuncti ab iis qui ejus scripta adulterarunt ? Nonne verò ipsa Ecclesia Jansenii textum damnavit *in sensu ab auctore intento*, non sanè quod velit ipsius Jansenii consilium ac mentem dijudicare, sed ut nimirum designaret eum sensum quem auctor exhibet propriâ ac nativâ textûs sui significatione. Est igitur hominis calumniari volentis in iis etiam quę communis loquendi forma & consuetudo apertè comprobat, nolle de tribus textibus intelligi id quod quinta synodus de tribus scriptoribus decrevit. Ubi nullam vim inferes humano sermoni, res ipsa per se loquitur, & omnia facilè plana sunt & expedita.

4. Illud tam manifestum fecimus, quam quod maximè, quintam synodum & sibi visam esse habere auctoritatem immunem

ab erroris periculo, & verò auctoritatem ejusmodi suo anathemate exercere voluisse. Vidimus Sedem Apostolicam sedulo procuravisse ut in eâ causâ se Occidens ad Orientem adjungeret, neque unquam commisisse, ut hæc auctoritas à Schismaticis labefactari videretur. Eritne qui dicere audeat, quintam synodum voluisse se immunem esse ab erroris periculo, & quidem promissionum divinarum vi ac fide, in dijudicandis *superfluis quæstionibus*, in *re nullâ*, in cogitatione seu mente intimâ scriptorum trium, qui jam ante annos centum & viginti è vitâ cesserant? Eritne qui dicere audeat, Ecclesiam tam diuturnum, tam latè diffusum, tam periculosum schisma pati maluisse, quam quidquam unquam remittere in *superfluis quæstionibus* de mente arcanâ, prætereaque prorsùs inutili trium scriptorum, qui jam erant ab annis plus centum vitâ defuncti? Eritne qui audeat hoc deffendere, voluisse Ecclesiam per tot annos anathemate damnare, hoc est, segregare à Corpore Jesu Christi, & Satanæ tradere eos etiam omnes, qui cum essent cæteroqui Catholici, nullâ tamen ratione possent imperare sibi, ut anathemate damnarent Episcopum illum, qui ante annos centum & viginti vivere de-

fierat, & de quo neque dum viveret, neque proximis ab ejus morte temporibus, legitima unquam quæstio ulla foret habita? Id verò qui diceret, næ ille & Concilium & Ecclesiam universam nefariæ tyrannidis accusaret. Factum proprium ac merè personale si à trium illorum scriptorum textibus seu scripto seu voce prolatis sejungatur, positum est dumtaxat in intimâ ipsorum mente ac cogitatione. Atqui mens illa intima & cogitatio factum quoddam est arcanum, omnibus clausum & impervium, de quo ponere eam legem Ecclesia non potest, ut quisquis illud non velit absque ullâ exceptione anathemate damnare, ipse sit anathema. Nunquam animis excidere debet id, quod summus Pontifex Zosimus ad Episcopos Africæ de Cælestio scribebat. *Intromisso Cælestio, libellum ejus quem dederat, fecimus recitari. Nec hoc contenti, utrum hæc quæ scripsisset corde loqueretur, an labiis, sæpenumerò exploravimus; cum* DE OCCULTIS ANIMORUM SOLIUS DEI NOSTRI POSSIT ESSE JUDICIUM, *cui non tantùm cogitata, sed cogitanda præsto sunt* &c. Intelligitis factum aliquod merè personale positum in scriptoris cujuspiam mente ab ejus textibus sejunctâ, arcanum esse quod soli Deo

Tom. X. August. append. p. 98.

pateat. Qui fieri potest, ut quis sibi persuadeat & quintum Concilium & Ecclesiam universam omnia tentasse, omnia tam horrendi schismatis mala sustinuisse propter factum merè personale Episcoporum trium, qui ante centum & ampliùs annos in Ecclesiæ pace & communione è vivis excesserant, præsertim cum neque dum viverent, neque postquam vivere desierant, ulla habita fuisset quæstio, ex quâ vel levissimum duci posset argumentum ipsos nominatim esse hæreticos? Non modò adversùs Theodoretum & Ibam, sed ne adversùs Theodorum quidem Mopsuestenum ulla eatenùs habita fuerat quæstio, ullum argumentum legitimum sejunctum ab iis argumentis quæ ab ejus textu desumebantur. Nihil igitur fingi potest absurdius, quam si Ecclesiæ tribuatur hoc consilium, ut sui anathematis auctoritas ad factum personale ullius ex his tribus auctoribus pertineat.

5. Atque ut hæc tota res planiùs explicetur, operæ precium est advertere nunquam judicare Ecclesiam de facto merè personali ac proprio, quod in intimâ scriptoris alicujus mente positum est; quippe illud factum ab omni textu sejunctum, est arcanum mentis humanæ

consilium & inscrutabile, quod non minùs ab Ecclesiâ quam ab hominibus singulis ignoratur, ut summus Pontifex Zosimus modò profitebatur. Ea non potest de scriptoris cujuspiam hæreticitate intimâ judicare, nisi ex signis externis, hoc est vocibus, seu textibus sive scripto sive ore prolatis. Jam textus ore prolati dissipantur, neque potest Ecclesia statuere illos esse ab auctore certò prolatos, nisi ex hominum testimonio, quod potest esse falsum. Potest Ecclesia, ut sanctus Thomas loquitur, errare *propter falsos testes*, dum inquirit an hæ voces ab illo prolatæ sint. Pariter errare potest *propter falsos testes*, dum agitur an hęc verba, quæ dicuntur hujus auctoris esse, ab eo conscripta sint. Illud est nimirum factum personale, quod Ecclesia nunquam ipsa per se vidit. De textibus verò, seu scriptis seu ore prolatis, quos ipsa per se atque immediatè cognoscit, quique vel ad servandum vel ad corrumpendum fidei depositum faciunt, æquali semper auctoritate judicat, sive illi breviores sint & aliquo canone damnati, sive longiores & damnati decretis iis, quæ canonum ipsorum vim ac potestatem obtineant. Quare judicia Ecclesiæ omnia quæ doctrinalia vocantur, ad solos tex-

tus absolutè, directè atque immediatè pertinent, ad auctorum verò personas nonnisi indirectè, nonnisi positâ conditione, & veluti ex repercussu, propter quæstionem habitam, vel propter notitiam. Atque hæc duo judicia sunt, quæ quamvis sæpè conjuncta videantur, nunquam tamen confundi ac misceri decet. Alterum est judicium de aliquo textu dogmaticum, & canonis quoddam genus. Alterum est veluti judicium inquisitionis post causam ex solemnibus juris præscriptionibus cognitam, in quâ causâ quæritur diligenter, num planum sit nec ne, hunc textum ab hoc auctore esse conscriptum. Quinta synodus in eo hæret, ut Theodorum Mopsuestenum damnet propter eos textus, qui ab eo scripti esse ponuntur. *Siquis deffendit impium Mopsuestenum, qui dixit alium esse Deum Verbum, & alium Christum &c.* eum damnat propter ejus *alias innumerabiles blasphemias.* Damnat, quia *in interpretatione, quam in actus Apostolorum scripsit Theodorus, similem fecit Christum Platoni.* Damnat propter *impia ejus scripta.* Personam ipsam Theodori non damnat synodus anathemate, nisi propter ejus textus quos recitat, & quos ab eo profectos esse omnes ultrò consentiebant.

Syno-

Synodus ſubjungit. *Si quis deffendit Epiſtolam, quam dicitur Ibas ad Marim Perſam hæreticum ſcripſiſſe &c.* Erat fortaſſe minùs pervulgatum, Epiſtolam quæ Ibæ tribuebatur, ab Ibâ ſcriptam eſſe, quam textus eos, qui dicebantur eſſe Theodori Moſueſteni, ab eodem eſſe conſcriptos. Sed illud denique manifeſtum eſt, anathema quo directè atque immediatè petuntur quædam ſcripta, pertinere nullâ ex parte poſſe ad auctores ipſos, niſi quatenùs legitimè probatum eſt ſeu teſtimoniis, ſeu notitiâ quâdam publicâ, hæc ab iis eſſe ſcripta. Et illa quidem quęſtio de facto merè perſonali non differt à cauſis vulgaribus, quæ coram Inquiſitoribus pertractantur. Verùm illud judicium quod immediatè denunciatur adversùs textus ſeu ſcripto ſeu ore prolatos, ſeu breviores ſeu longiores, ſemper eſt dogmaticum, eſt quoddam canonis genus, ſiquidem vel maximè pertinet ad dogma fidei conſervandum, & ad fidem noſtram certò dirigendam. Si quis fortè extitiſſet, qui textus omnes eos, qui Theodori Mopſueſteni eſſe dicebantur, abſque ullâ exceptione damnaſſet, ſed cum ſummâ reverentiâ oſtendiſſet firmiſſima ſibi eſſe argumenta, cur eos textus à Theodoro profectos non eſſe crederet, Eccleſia

certè non modò non huic imperasset interstatâ anathematis pænâ, facti illius fidem, sed ne silentium quidem obsequiosum ab eo postulasset. Hominem audiisset æquo animo, ejus argumenta cognovisset, quæ si comperisset esse prorsùs ad fidem faciendam accommodata, non dubitasset profectò Theodori personam anathemate solvere. Enimverò S. Thomas affirmat, Ecclesiam in *factis particularibus* v. g. in *criminibus*, in quibus falli potest *propter falsos testes*, suum errorem sive subreptionem emendare, ***quando ad notitiam Ecclesiæ venit.*** Imò etiam ubi Ecclesia certò se comperisse existimat, seu per quæstionem legitimam, seu per notitiam publicam, aliquem esse hæreticum, satis habet eum à suâ communione segregare, atque à suis filiis exigere ut eum habeant segregatum. Quare licet etiam foret aliquis, qui eùm hæreticum esse non crederet, ductus iis argumentis quibus ille remotus ab hæreseos crimine videretur, nihil aliud Ecclesia peteret, quam ut externam obedientiam exhiberet, atque illum hominem in omnibus sic haberet tanquam ab Ecclesiæ communione segregatum. Ita satis fecisset Episcopus ille, qui Acacium culpâ vacare credidisset, si illum exemisset è dyp-

ticis; atque illius Patriarchæ excommunicationem ratam habuisset. Quare cum hæreticitas personalis fidem nullam postulet, sed tantùm obedientiam, qualis vulgò cuilibet excommunicationi conceditur, non necesse est animo certam hanc personalem hæreticitatem haberi, neque ad eam potest anathematis infallibilitas pertinere. Undè manifestum est, & illam animi persuasionem, & illam anathematis infallibilitatem non posse nisi ad tres textus referri. Ecclesia ideò tantùm in quintâ synodo solius Theodori Mopsuesteni personam cum trium auctorum textibus conjunxit, quia dubium erat nemini, quin textus illi nefandi, qui Theodori nomen præferebant, ipsius Theodori forent. Sed auctoritas anathematis, ut sæpiùs diximus, nonnisi ex repercussu in Theodori personam redundabat, cum ille non quæstione legitimâ, sed pervulgatâ famâ reus existimaretur. Si nihil aliud venisset in disceptationem, quam factum illius Episcopi merè personale, nunquam potuisset synodus promissionum divinarum fide auctoritatem immunem ab erroris periculo anathemati suo tribuere. Nunquam potuisset Ecclesia synodum illam deffendere, tanquam œcumenicam, adversùs tot Ecclesias ex Occi-

dente, in eo facto quod & in testium verorum falsorumve fide positum esset, & nullius prorsùs foret momenti, siquidem ageretur dumtaxat de memoriâ hominis cujuspiam ante annos centum & ampliùs defuncti.

6 Frustrà verò homines è sectâ contendere obstinatè pergunt, tùm actum fuisse de Theodori Mopsuesteni personâ non minùs quam de ipsius & Theodoreti & Ibæ scriptis. Breviter respondemus, actum non fuisse de Theodori personâ, nisi indirectè & ex repercussu propter ea scripta, cujus eum auctorem esse omnes consentiebant. Prætereà nullum anathema pronunciatur in aliorum duorum Episcoporum personas. Longè aberat quinta synodus ab eo, ut anathemate damnaret illos ipsos, quos synodus Calchedonensis in suas sedes restituerat, quique in iis cum laude obierant. Ipsorum dignitati synodus consulit. Imò ne affirmat quidem Epistolam eam quam hæreticam esse decernit, ab Ibâ conscriptam esse. *Epistolam*, inquit synodus, *quam dicitur Ibas .... scripsisse.* De Theodoreto verò operæ precium est audire Pelagium II. *Constat*, inquit, *quod se postmodum ipse correxit, qui in sanctâ Calchedonensi synodo Nestorium anathe-*

Tom. 5. Concil. p. 19.

matizare consensit. Quis non videat quantâ temeritate plenum sit, Theodoreti scripta superbiendo deffendere, quæ eumdem ipsum constat, recta post profitendo damnasse? Dum verò ejus & personam recipimus, & ea quæ dudùm latuerant pravæ scripturæ reprobamus in nullo a sanctæ Synodi actione deviamus; quia sola ejus hæretica scripta respuentes, & cum synodo adhuc Nestorium insequimur & cum synodo Theodoretum profitentem recta, veneramur. Quid igitur attinet commemorare perpetuò mixtam Theodori Mopsuesteni causam, ut scilicet factum textûs proprium misceatur atque implicetur cum facto altero ad auctoris personam spectante? Veniamus ad causam Ibæ ac Theodoreti, quæ nihil habet personale, & solâ textuum hæreticitate continetur. Dubitari certè non potest, quin tota anathematis auctoritas ad duorum horum textuum causam directè atque immediatè pertineat. Et illud manifestum est, Theodori textum non minùs damnandum à synodo fuisse cum Ibæ & Theodoreti textibus, etiamsi nihil synodus cognovisset, quod adversùs ipsam Theodori personam faceret. Seponamus igitur causam Theodori Mopsuesteni merè personalem, quæ si fuisset sola, digna non

fuiſſet quæ diſceptaretur, & hæreamus in trium textuum ſecundùm ſe ſumptorum causâ. Vel etiam cauſam illam omnem Theodori mixtam omittamus, & agamus tantùm de causâ textuum Ibæ & Theodoreti, quæ cauſa nihil perſonale complectebatur. Audiamus quid ſynodus de illâ causâ pronunciet. *Si quis deffendit impia Theodoreti conſcripta ..... & non anathematizat ea ..... talis anathema ſit .... ſi quis deffendit Epiſtolam quam dicitur Ibas .... ſcripſiſſe .... & non anathematizat eam & deffenſores ejus, & eos qui dicunt eam rectam eſſe vel partem ejus .. . talis anathema ſit.* Omiſſo tantiſper anathemate mixto, quod ad Theodori textum ita pertinet, ut redundet in perſonam, agimus jam de illo anathemate, quod omnium confeſſione ſolos Ibæ ac Theodoreti textus ita damnat, ut non attingat perſonas. Illud ſanè nihil complectitur, quod ad horum auctorum perſonas pertineat, & tamen adversùs duos illos textus decernitur auctoritate infallibili, quæ divinis promiſſionibus nitatur. Igitur ſepoſito illo mixto Theodori Mopſueſteni facto, ſynodus ipſa ſuam in Ibæ ac Theodoreti textibus dijudicandis infallibilitatem & ponit, & declarat & exercet. Quam turpe eſt hominibus è ſecta

causam suam tueri nullâ ratione posse, nisi de priori ex tribus textibus litigent, dum ipsa controversia nihilominùs clare atque apertè dirimitur aliis textibus duobus, qui nullum admixtum habent factum personale?

7. Eò denique redit tota hominum è sectâ ratio, anathema Concilii tam pertinere ad ipsius Theodori Mopsuesteni, quam ad trium textuum hæreticitatem; undè volunt effici non magis in tribus textibus damnandis, quam in uno è tribus auctoribus damnando synodum fuisse immunem ab erroris periculo. Nos breviter respondemus id dici non posse, nisi synodus impiè mendacii arguatur, quod sic paucis atque apertè ostendimus. Si non major est infallibilitas anathematis adversùs tres textus, quam adversùs propriam atque intimam Theodori Mopsuesteni mentem, infallibilitatem prorsùs nullam habet, siquidem jam planum fecimus, illud anathema non posse nisi ad unum Theodorum, & tres textus pertinere. Jam verò si nulla prorsùs est synodi infallibilitas in tribus capitulis anathemate damnandis, convincitur synodus & mendacii, & auctoritatis ex scripturæ promissionibus falsò desumptæ. Deffendi synodus nequit, nisi dicatur immunis

fuisse ab erroris periculo in dijudicandis tribus capitulis, quæ sola nimirum habebat dijudicanda. Atqui manifestum est & luce meridianâ clarius, infallibilitatem pertinere nullâ ratione posse ad hæreticitatem Theodori Mopsuesteni propriam. Non cognoscit Ecclesia absque erroris periculo mentem intimam & arcanos recessus animorum. De scriptoris cujuspiam mente existimare non potest, nisi ex ejus scriptis. Imò hos textus ab illo esse conscriptos scire non potest, nisi vel per testes, quæ legitima quæstio haberi post annos centum & viginti jam prorsùs non potest, vel per notitiam publicam, quæ sensim oblitteratur, & facilè post tot annos alicui incerto locum relinquit. Igitur tyrannidem nefariam adhiberet Ecclesia, si se in facto illo personali dijudicando quod ad arcanos animi recessus attinet, poneret esse immunem ab erroris periculo, & damnaret anathemate, quisquis non certâ & absolutâ fide anathematizaret Theodori personam sejunctam ab eo textu, qui ipsi tribuitur. Tumverò Ecclesia neque foret in suis præceptis sancta, neque in suâ administratione immunis ab erroris periculo, quod tamen ipsi largitur *obsequiosi silentii deffensor*. Igitur ut illius tyrannidis usurpatæ crimine li-

beretur, necesse est reperire aliquid definitum ac certum, ad quod infallibilis auctoritas anathematis referri possit. Nam ut jam sæpe dictum est, ultrò etiam confitentur homines è sectâ, non posse hanc infallibilitatem pertinere ad ullius hominis hæreticitatem intimam atque arcanam. Necesse est igitur, ut ea pertinere dicatur ad hæreticitatem textuum eorum, qui in Ecclesiæ manibus & ante ejus oculos erant positi. Ex his duobus negari alterum non potest, quin alterum affirmetur; manifesta unius exclusio, ut scholæ loquuntur, necessariò inclusio est alterius manifesta. Synodus ipsa se denuntiat esse immunem ab errois periculo, atque apertè illam immunitatem exercet. Hoc firmum ac stabile fundamentum ipsis Concilii verbis ponitur. Hanc infallibilitatem negare homines è sectâ non possunt, nisi mendacii accusent & ipsam synodum œcumenicam, & universam Ecclesiam, quæ duobus aliis synodis posterioribus hanc esse œcumenicam declaravit. Debent igitur homines è sectâ, æquè ac nos debemus, designare id quod anathemate infallibili petatur. Nos quidem planum fecimus eo non peti hæreses illas, quarum finita causa jam erat, & de quibus nulla prorsùs erat controversia.

Non erat necesse synodum novam convocari ad illud præstandum, quod jam præstitum & absolutum fuerat anterioribus Conciliis; neque synodus hæc necesse habebat suam infallibilitatem promissionum divinarum fide comprobare adversùs eas hæreses, quæ jam à prioribus Conciliis, quorum infallibilitatem summo consensu Catholici omnes agnoscebant, erant anathemate damnatæ. Deinde nunquam ista infallibilitas potest ad dijudicandos mentis intimæ recessus pertinere. Imò si verè loqui placet, non potest pertinere ad ea facta, quæ possunt à falsis testibus referri, præsertim si ea & ante annos centum & viginti gesta sunt, & nullâ legitimâ quæstione comprobata sunt. Quid est igitur, ad quod velint homines è sectâ infallibilitatem pertinere? Tam enim ipsorum, quam nostrum est assignare certum aliquid & definitum, in quo illa versetur. Dicant illi si possunt, aut si non possunt, illud certè se non posse fateantur. Quod hoc loco nobis opponunt, ipsi expediant necesse est, adeò rem opponunt futilem, atque iis qui eam audent afferre contrariam. Non potest infallibilitas pertinere nisi ad trium textuum hæreticitatem. Igitur in hâc trium textuum hæreticitate decernendâ se sy-

nodus ab erroris periculo immunem esse declarat.

Itaque ea quæ spectant ad quintam synodum his quatuor brevibus ac decretoriis sententiis absolvuntur, quæ adeò claræ ac pervulgatæ sunt, ut ab homine quolibet æquo & attento sine ullâ longiori disquisitione facilè percipiantur.

1. Oriens Occidens, Apostolica Sedes, sexta & septima synodus declarant quintum Concilium esse œcumenicum, atque adeò immune ab erroris periculo, quemadmodum ipsa universa Ecclesia immunis est.

2. Scitum est quintam synodum dogmaticè declaravisse se promissionum divinarum vi ac fide esse immunem ab erroris periculo in eâ re dijudicandâ quam præsertim dijudicavit, & propter quam erat convocata. Hanc synodum à se haberi œcumenicam Ecclesia tota professa est, & declarationem illam divinis promissionibus firmatam ipsa ratam habuit. Indè factum est, ut ejus decretum Ecclesia deffendendum susceperit. Quamvis illa maternâ planè caritate ac patientiâ Schismaticos Occidentales sustinuerit, sive propter miserabilem hominum inscitiam, sive etiam propter summum quod præ se ferebant Concilii Calchedonensis

deffendendi ſtudium, omnia tamen experiri, omnia pati maluit, quam quidquam remittere de hæreticitate trium textuum, & de infallibili quintæ ſynodi auctoritate, quâ hæreticitas illa denunciata fuerat.

3. Scitum eſt quintum Concilium neque ob aliam rem ullam fuiſſe convocatum, neque de aliâ re ullâ decreviſſe, quam de iis quæ tria capitula dici ſolent. Cætera quæ adjuncta ſunt, vel pertinent ad aliquam fidei profeſſionem, vel ad enumerationem cauſarum jam aliàs finitarum, undè omnes intelligant hac ſynodo, quæ tot & tam acres habuit adverſarios, neque labefactari ſynodum priorem ullam, neque ullum errorem blandiùs tractari. Atque id Theologi prorsùs omnes, ne exceptis quidem ipſis è ſectâ hominibus, hactenùs agnovêre.

4. Scitum eſt anathema, quantum ad tria capitula ſpectat, non pertinere directè & immediatè niſi ad tres textus adversùs fidem peſtilentes, quos Eccleſia per ſe ipſa cognoſcebat, neque aliter quam veluti ex repercuſſu redundare in mentem propriam ac perſonalem unius ex tribus auctoribus, quem fama publica arguebat conſcripti textûs cujuſdam, qui manifeſtè impius foret.

X I.

De synodo Lateranensi habitâ anno 649. à summo Pontifice Martino primo.

1. Actione primâ hujus synodi quâ id agebatur, ut damnarentur Cyrus, Sergius, Pyrrhus & Paulus Monothelitæ, sic Maximus Aquileiensis ad Martinum Papam verba facit. *Si placet vestræ Beatitudini, supplico, quatenùs per unam, vel duas, si multum, ut ne fastidium per hæc quæ omnibus manifesta sunt, gestis ingerere videamur, querulantium personas, Cyrum, Sergium, Pyrrhum & Paulum convenienter, quæ de his proponuntur, cognoscamus, necnon per conscripta eorum adversùs fidem exposita, quæ videlicet & sine accusantis personâ redarguere eos apertissimè demonstrantur. Propterea enim accusatio extranea superflua esse dignoscitur, quoniam a suis temerariis conscriptis apertiùs accusantur, quibus omnem mundum conturbasse noscuntur. Ita namque Dominus ait :* EX ORE TUO JUDICABO TE : *&*, EX VERBIS TUIS JUSTIFICABERIS, ET EX VERBIS TUIS CONDEMNABERIS. *Quia verò multa per-*

Concil. tom. 6. secret. 1. p 97.

Luc. 19. Matth. 12.

ſonæ accuſantium, licet exiſtant, minimè ſunt neceſſaria nobis, ubi manifeſta eſt culpa eorum qui accuſantur, à ſanctis Synodis luculentiùs docemur. Igitur contrà utroſque, id eſt, Neſtorium & Eutychen, & cum eis Dioſcorum, nefandiſſimos hæreticos, unus tantummodo accuſator, hoc eſt, beatæ memoriæ Euſebius Dorylenſis Eccleſiæ Epiſcopus legitur extitiſſe. Contrà Theodorum autem & Origenem in ſanctâ quintâ Synodo accuſator quidem nullus, ſed tantummodo eorum conſcripta ad accuſationem ipſorum & reprehenſionem ſufſeciſſe noſcuntur. Igitur & in præſenti, opportunâ geſtorum ſerie conſervatâ, per unam aut duas accuſantium perſonas, ſi placet, cum omni ſubtilitate ad accuſationes eorum noſtram præparemus ſollicitudinem.

Deus-dedit Epiſcopus Calaritanus dixit æquum eſſe ut ii qui accuſarentur hæreſeos, hæretici eſſe oſtenderentur, *per conſcripta eorum ordinabiliter, contrà immaculatam fidem noſtram expoſita, quatenùs per examinationem eorum congrua ſuper his ſententia ſubſequatur.* Ib. p. 100. *Univerſi ſanctiſſimi Epiſcopi dixerunt*, hæc quidem *minimè ignorari; attamen* quæſtionem legitimam haberi oportere, *quatenùs opportunè rationabiliterque examinatio ſubſe-*

quatur, maximè ..... per ea quæ ab eis contra immaculatam fidem conscripta sunt Deindè Martinus ita decernit, *non anteà per scripta eorum qui accusati sunt, causam illorum discuti oportere, donec* auditæ fuerint *querulantium institutiones.* Nihil aliud synodus cœteris actionibus est prosecuta, quam quod hic fuerat constitutum. Nihil aliud, quam priorum quinque Conciliorum sanctorumque Patrum textus cum eorum qui accusabantur textibus conferuntur. Ad illud comparationis judicium referuntur omnia. Imò synodus, quod præsertim debet animadverti, nonnisi dogmatico more decernit de textibus secundùm se sumptis, sejunctisque ab iis, qui eorum auctores esse ferebantur. Apparent etiam duo judiciorum genera eaque maximè distincta, licet eodem planè tempore à synodo proferantur. Alterum pertinet ad personas, nititurque vel testimoniis auditis, vel notitiâ publicâ, quæ non sinebat dubitare, quin illi textus eos haberent auctores. Hæc causa simillima est earum, quæ in Inquisitorum consessu pertractantur. Alterum judicium est dogmaticum, quod instituitur conferendis inter se puræ traditionis textibus, cum iis Novatorum textibus, qui damnati sunt. Anathema,

Ib. sect. 5.

quo personæ damnantur, est excommunicatio, & auctorum nominibus ignominiæ labes inusta. Ecclesia dum causam cognoscit ejus, qui accusatur hæreseos, & illum à suâ communione segregat, nullam postulat fidem internam de propriâ ac personali illius hæreticitate, seu de mente illius intimâ; satis habet, quod omnes pareant anathematismo, & nullâ se communione jungant cum eo, qui excommunicatus est. Alterum verò judicium, quo textus damnatur, verus est canon, quo varii textus hæretici esse decernuntur, ideò nimirum ut eos hæreticos esse quisque credat, & propositionem his textibus contradicentem inter fidei veritates habeat.

Ibid. sect. 5. p. 355. 2. Canon XVII. est ejusmodi. *Si quis secundum sanctos Patres non confitetur propriè & secundùm veritatem omnia quæ tradita sunt & prædicata sanctæ Catholicæ & Apostolicæ Dei Ecclesiæ, perindeque à sanctis patribus & venerandis universalibus quinque Conciliis* USQUE AD UNUM APICEM, VERBO ET MENTE, *condemnatus sit.*

Intelligitis innumera facta non revelata, ut homines è sectâ loqui amant, à Concilio dijudicari. Decernit, consentire inter se textus à *sanctis Patribus* per sex sæcula

fæcula conſcriptos. Decernit quinque priora Concilia eſſe œcumenica, exſtare textus ab iis Conciliis exaratos, eoſque Catholicos eſſe. Non patitur illis Conciliis, aut etiam illis Patribus ullum tribui facti errorem, quo minùs propriè locuti eſſe credantur. Imò præcipit, ut *confiteamur propriè & ſecundùm veritatem, omnia quæ ab iis tradita ſunt*, denique ut eorum textus ſequamur, *uſque ad unum apicem*, non *verbo* tantùm ſed etiam *mente*.

3. Canonis XVIII. hæc verba ſunt. *Si quis ſecundùm ſanctos Patres conſonanter nobis parique fide non reſpuit & anathematizat* ANIMA ET ORE *omnes, quos reſpuit & anathematizat nefandiſſimos hæreticos, cum omnibus impiis eorum conſcriptis* USQUE AD UNUM APICEM *ſancta Dei Eccleſia Catholica & Apoſtolica ..... id eſt Sabellium, Arium .... Origenem, Didymum ..... Cyrum Alexandrinum, Sergium Conſtantinopolitanum, vel ejus ſucceſſores Pyrrhum & Paulum .... & omnia impia illorum conſcripta .... & ſuper hæc impiiſſimam ecthesim .... & cum illis denuò ſceleroſum typum ..... hujuſmodi condemnatus ſit.* Hæc porrò ſunt, quæ præſertim in hoc canone videntur obſervanda, *Ibid.*

1. Fidem postulat internam, certam & nunquam revocandam, quæ *animâ & ore* contineatur, quibus verbis significatur fides atque animi persuasio certissima. Atqui Ecclesia, quemadmodum & *silentii obsequiosi deffensor*, & omnes sectæ antesignani confitentur, fidem ejusmodi postulare pro suo jure non potest, nisi in iis in quibus se credit non esse obnoxiam errori. Igitur necesse est, ut antesignani sectæ confiteantur Ecclesiam in eo decreto non fuisse obnoxiam errori, nisi quis dicat Concilium voluisse arrogare sibi auctoritatem eam, quæ ne Ecclesiæ quidem propria est, ut mentes hominum per tyrrannidem opprimeret in *facto momenti nullius*.

2. Fides ea, quam Concilium postulat, pertinet ad *impia conscripta*, hoc est, textus quorundam auctorum. Agitur de textibus Cyri, Sergii, Pyrrhi & Pauli, de Ecthesi, de Typo. Textus illi tam longiores quam breviores æquè illo canone damnantur & jubentur *anathematizari*. Imperat synodus, ut textus illi omnes credantur hæretici *usque ad unum apicem*, & quidem intellecti *propriè & secundum veritatem*, vetat ullum excipi facti errorem de vi & significatione vocum. Atque illud advertite,

Concilium de auctorum illorum textibus eâdem auctoritate decernere, quâ de textibus quinque Conciliorum œcumenicorum, & sanctorum Patrum, quibus traditio continetur. Statuit non minorem esse Ecclesiæ potestatem in illis damnandis, quam in his approbandis. Quisquis illorum hæreticitatem *usque ad unum apicem* credere nolit, is à Communione catholicâ segregatur, & Satanæ traditur.

3. Id unum homines è sectâ perfugium habent, ut dicant hanc synodum, cum non magis in textibus quam in personis reprobandis fidem exigat, æquè sibi visam esse obnoxiam errori in utroque illo non multùm dissimili genere factorum. Verùm illud si paulò diligentiùs discutiatur, intelligitur facilè, quam sit captiosum & fallax. Quippe repetendum est id, quod homines è sectâ fundamenti loco haberi volunt, non posse Ecclesiam postulare certam fidem, nisi in iis, in quibus ipsa se credit esse immunem ab erroris periculo. Atqui manifestum est hoc loco fidem certam ab Ecclesiâ postulari, *animâ & ore.* Igitur in eo se Ecclesia credit immunem ab erroris periculo. Hoc semel constituto, debent homines è sectâ non minùs quam

nos, assignare quiddam certum ac definitum, ad quod & illa certa fides & illa auctoritas immunis ab erroris periculo pertinere videatur. Debent homines è sectâ non minùs quam nos, confiteri eam non posse pertinere ad mentes auctorum proprias, ac personales ab eorumdem textibus sejunctas. Igitur necesse est, ut id, quod nos dicimus, homines pariter è sectâ dicant, eam non posse nisi ad auctorum illorum textus pertinere. Verbi gratiâ, quis unquam vir intelligens ac mentis compos audeat dicere, Ecclesiam visam sibi esse immunem ab erroris periculo, ut decerneret Origenis textum non fuisse adulteratum à fallariis amanuensibus aut librariis, textum ipsius autographum fuisse hæreticum, aut hæresim fuisse illud dogma, quod ipse Origenes intimâ mente continebat? Est igitur luce clarius, anathematis infallibilitatem nunquam posse ad mentem merè personalem ac propriam auctorum pertinere. Pertinere igitur non potest, nisi ad ipsorum textus dogmaticè sumptos, quatenùs illi cum textibus quinque Conciliorum & sanctorum Patrum conferuntur. Si quis cum summâ reverentiâ ac modestiâ gravissimis usus argumentis ostendisset Origenem ipsum

nunquam credidisse illas hæreses, quæ passim in ipsius scriptis occurrebant, ipsiusque textum fuisse malis artibus adulteratum, illum Ecclesia benignè audiisset, satis habuisset si ille textum Origenis, prout tum circumferebatur, *animâ & ore* damnavisset. Verùm si quis dixisset, errore facti lapsam esse Ecclesiam in vero textuum illorum sensu percipiendo, atque illâ exceptione usus noluisset *animâ & ore* hæreticitatem eorum credere & confiteri, eum sanè Ecclesia anathemate damnavisset.

4. Omissis inanibus argutiis veniamus ad rem ipsam, & sola nomina commutemus. Transferamus ad Jansenii textum, id quod synodus de Cyri, Sergii, Pyrrhi, & Pauli textibus, de Ecthesi, de Typo pronuntiat. *Si quis non .... verbo & mente .... respuit & anathematizat animâ & ore* Jansenii textum, *usque ad unum apicem* sumptum *propriè & secundùm veritatem*, *hujusmodi condemnatus sit*, hoc est anathema sit, à Catholicâ communione segregatus, & Satanæ traditus. Canon hac ratione translatus ad Jansenii textum, non minorem habet vim, quam cum adversùs textus Monothelitarum prolatus esse intelligitur. Neque verò dubium jam esse potest, quin

illæ quinque Constitutiones, quibus Jansenii textus damnatus est, Canonis vim atque auctoritatem obtineant.

Huc denique evadere homines è sectâ possent, ut apertè insurgerent in illam synodum tanquam privatam, & quæ potuerit longiùs progredi, quàm veritas patiatur. Verùm præterquam quod synodus illa nihil in eâ re fecit, quod non pariter à quartâ & quintâ synodo generali factum fuerit, ut dudum ostendimus, certè non est prætermittendum in eo Concilio totius Ecclesiæ caput cum universâ Ecclesiâ Romanâ, & Episcopis centum & quinque pronunciasse, atque hoc decretum ab Apostolicâ Sede missum fuisse ad omnes ex Oriente & ex Occidente Catholicos, ut narrat Anastasius, ita ut sancti illius cœtûs judicium universa Ecclesia jam ab annis mille & ducentis summo plausu & reverentiâ exceperit.

XII.

De auctoritate Concilii Constantiensis.

1. SYnodus illa recitatis 45. Wicleffi articulis, quos denuntiat à se fuisse dogmaticè discussos, pariterque *Dialogum* & *Trialogum*, qui libri erant à Wicleffo conscripti, denique de iis omnibus textibus seu longioribus seu brevioribus eâdem auctoritate & eâdem censurâ fert sententiam. Atque hanc de textibus sententiam *in nomine Domini nostri Jesu Christi .... perpetuo decreto*, hoc est nunquam revocando atque adeò immuni à periculo erroris, denuntiat *omnibus Christi fidelibus .... omnibus & singulis Catholicis sub anathematis interminatione*. Hoc sanè decretum solemnem veri canonis formam & vim omnem obtinet. Manifestum est nullam aliam à synodo formulam adhibitam fuisse in aliis, in quibus dijudicandis Ecclesiæ infallibilitas nemini dubia est, & quas apertè synodus quodam Canonis genere dijudicare voluit. Concil. Constant. Con: tom. XII. Sess 8. p. 48.

2. Post textus Wicleffi seu breviores seu longiores dogmaticè discussos, ac

deindè eo canonis genere dijudicatos, transit synodus ad alterum judicium, quod à priori secernit, tanquam ipso genere dispar & dissimile. Agitur in eo persona ac memoria Wicleffi, qui hæreseos convictus esse declaratur. Hæc causa merè personalis ad omnes juris præ-
Ib. p. 50. scriptiones exigitur. *Data* erant, ut apparet, *dilationes debitæ*, deinde *edicta proposita, denunciationesque ad vocandum eos, qui eumdem sive ejus memoriam defendere vellent.* Accesserat nemo. *Examinatis insuper textibus super impœnitentiâ finali pertinaciâque dicti Joannis Wiclef* per viros & à summo Pontifice & à Concilio delegatos, *servatisque servandis, prout in tali negotio postulat ordo juris, de ejus impœnitentiâ ac finali pertinaciâ per evidentia signa testibus legitimis comprobata, fuit*, inquit synodus, *legitimè facta fides.* Hæc duo judiciorum genera non modò distincta, sed etiam cautè ac diligenter sejuncta sunt, ut nimirum significetur priori totam inesse canonis auctoritatem de textibus seu brevioribus, seu longioribus decernenti, posterius verò nihil esse præter aliquod de re capitali judicium, in quo ad facti merè personalis veritatem ex juris præscriptionibus inquirendam testes à viris delegatis audiuntur.

3. Neque verò ſum neſcius Martinum V. eâ bullâ quæ eſt inſerta ſynodo, inter illa quæ jubet ab eo quæri, qui novæ ſectæ erroribus favere crederetur, iſtud prætertim quæri velle, *utrum credat, quod condemnationes Joannis Wicleff, Joannis Hus, & Hieronymi de Pragâ facta de perſonis eorum, libris & Documentis per ſacrum generale Conſtantienſe Concilium, fuerint ritè & juſtè facta, & à quolibet Catholico pro talibus tenenda & firmiter aſſerenda.* Verùm hac interrogatione, quam ſummus Pontifex imperat, neque miſcentur duæ cauſæ valdè ſejunctæ, altera textuum, altera perſonarum, neque judicia de iis à ſynodo ſejunctim lata confunduntur. Nam hinc quidem ſancta ſynodus vult ab unoquoque credi hæreticitatem textuum ſeu breviorum ſeu longiorum, quos ipſa hæreticos, poſt accuratam & legitimam diſquiſitionem appellavit, eâ formulâ quæ vim canonis obtineat, *ſub anathematis interminatione*, inde verò ſummus Pontifex imperat, ut omnes credant ſynodum in perſonarum causâ cognoſcendâ eam adhibuiſſe diligentiam, quam *poſtulat ordo juris*, ita ut eam curam & cautionem attulerit, quæ potuerit humano jure conſtitui, licet poſſit ſemper con-

Ib. p. 267.

tingere, ut ejusmodi facta personalia falsa comperiantur, *propter falsos testes*, ut ait S. Thomas. Quare quod ad alterum illud judicium attinet merè personale, id solùm postulat summus Pontifex, ut sit unicuique persuasum, causam esse bonâ fide pertractatam & ex juris formulis cognitam; & eos qui damnati sunt, non fuisse damnatos nisi ob ea facta, quæ legitimè allata & probata fuerint, unde necesse sit ut unusquisque in iis quæ ad religionem testandam pertinent, ratam habere videatur eam excommunicationis sententiam, quæ est adversùs illos tres sectæ duces pronunciata. Id tantùm agit summus Pontifex, cum jubet credi judicium de personis jure & legibus fuisse institutum. Ad textus verò quod attinet, synodus vult eos haberi hæreticos propter auctoritatem decreti canoni similis eos hæreticos declarantis.

4. Denique synodus eadem dum appellat ea Concilia œcumenica, quæ summus quilibet Pontifex recens electus contestari debet se ut fidei suæ normam sequi, vult ut ille *profiteatur, quandiu in hac fragili vitâ constitutus fuerit, se firmiter credere & tenere sanctam fidem Catholicam, secundum traditiones ..... sanctorum octo Conciliorum universalium, vi-*

Ibid. sess. 29. p. 241.

delicet primi Nicani, secundi Constantinopolitani, tertii Ephesini, quarti Calchedonensis, quinti & sexti Constantinopolitanorum &c. Quare synodus Constantiensis præcipit, ut is qui mox in Petri cathedrâ sessurus est, profiteatur primùm se quintam synodum eodem loco ac numero habere, quo Nicænam, Ephesinam, Calchedonensem &c. Jam vidimus quintam synodum nonnisi de tribus longioribus textibus pronunciasse, atque in eo judicio declarasse auctoritatem à se infallibilem divinis promissionibus nixam adhiberi. Synodus igitur Constantiensis confirmat ac ratum habet illum auctoritatis infallibilis usum in longioribus textibus dijudicandis, atque illam quintæ synodi in ejusmodi auctoritate declarandâ rationem.

XIII.

De auctoritate Concilii Tridentini.

1. SYnodus, ut ipsa loquitur, *considerans non parum utilitatis accedere posse Ecclesiæ Dei, si ex omnibus latinis editionibus quæ circumferuntur, sacrorum librorum, quænam pro authenticâ habenda* *Sess. IV.*

(

sit, immotescat, statuit & declarat ut hæc ipsa vetus & vulgata editio .... pro authenticâ habeatur. Quisquis aliquam bibliorum editionem authenticam esse declarat, is necesse est declaret eo textu, si proprio ac nativo sensu sumatur, nullum errorem contra fidem, aut contra moralis Evangelicæ puritatem contineri, & textum eumdem cum hebraico seu cum græco autographo in iis omnibus, quæ alicujus momenti sunt, consentire. Atque hæc sunt facta innumera grammaticæ & criticæ circa tres linguas Hebraicam, Græcam & Latinam, & ea quidem omnia revelatione posteriora, ac minimè revelata, siquidem agitur significatio paginarum omnium, imò & singularum linearum in tam longo textu occurrentium. *Silentii obsequiosi deffensor* ultrò confitetur Ecclesiam promissionum divinarum vi ac fide immunem esse ab erroris periculo in declarandâ illâ authenticitate, quæ in factis innumeris, iisque minimè revelatis posita est. *Cum*
p. 1182. *vulgatæ authenticitatem Ecclesia voluerit ad disciplinam suam pertinere, omninò credendum est eâ versione Verbum Dei fideliter & accuratè exhiberi in iis certè quæ fidem aut mores proximè attingunt.*
p. 1182. *Fide certum est Ecclesiam in eâ re ex*

Christi promissionibus directam & sustentatam fuisse, quantum necesse erat, ut nullo errore laberetur in iis quæ fidem aut mores proximè attingunt, atque adeò debet esse persuasum, tanquam id quod promissionibus divinis certum atque minimè dubium efficitur, hanc versionem ab Ecclesiâ approbatam cum verbo Dei consentire. Verum quidem est versionis vulgatæ cùm textibus autographis consensionem .... factum esse minimè revelatum. Itaque hoc Concilii de his omnibus decretum non minùs est immune à periculo erroris, quam ejusdem canones. Habemus textum longiorem versionis integræ sacrorum librorum, de quo Ecclesia non minùs infallibiliter quam de textu aliquo breviore decernit. p. 1185.

Neque verò excipere possunt homines è sectâ Ecclesiam idcircò esse in eo longiore textu dijudicando immunem ab erroris periculo, quia textu illo prorsùs carere non potest ad depositum fidei conservandum, atque eâ re fieri, ut tùm non possit factum à jure sejungi. Primùm enim, potuisset Ecclesia profectò, etiamsi vulgatæ authenticitatem non declarasset, servare depositum, quod nimirum per multa sæcula absque ejusmodi declaratione servaverat. Poterat eam,

quâ tamdiu erat usa, rationem obtinere. S. Irenæus sic disputat. *Quid autem, si neque Apostoli quidem scripturas reliquissent nobis, nonne oportebat ordinem sequi traditionis, quam tradiderunt iis quibus committebant Ecclesias? cui ordinationi assentiunt multæ gentes barbarorum, eorum qui in Christum credunt, sine charactere vel atramento scriptam habentes per spiritum in cordibus suis salutem.* Si quidem potuisset Ecclesia solius traditionis ope absque ullâ scripturâ servare depositum, eadem sanè longè potiori jure potuisset idem præstare non declaratâ authenticitate privatæ cujusdam versionis, quam authenticam esse nondum per tot sæcula declarasset. Unde & synodus non ait id à se declarari, quia prorsùs necesse est ad fidei depositum; hoc tantùm ait ex hac declaratione *non parum utilitatis accedere posse Ecclesiæ Dei.* Neque verò licet fines a Concilio præscriptos ullâ ratione prętergredi. Superest igitur, ut decretum quo vulgata declarata est authentica, jam conferamus cum iis decretis, quibus Jansenii textus hæreticus esse declaratus est. Uterque ille textus & longior est & minimè revelatus. Si ponitur Jansenii textum esse hæreticum, atque *ut cancrum serpere* adver-

Adv. hær. l. 3. c. 4.

sùs fidem, eſt ſane *utile* ejus hæreticitatem, quemadmodum & vulgatæ authenticitatem declarare. Profectò *non parum utilitatis accedit Eccleſiæ Dei*, cum prohibetur quominus peſtis *ut cancer ſerpat*, ad depoſitum corrumpendum. Præterea fieri non poſſet abſque ſummo depoſiti periculo & diſcrimine, ut Eccleſia tanquam hæreticum damnaret eum textum, quo nihil niſi purum fidei dogma contineretur. Cum enim textûs illius damnatio ipſi illi textui contradicat, ea verbis ipſis negaret fidei dogma, quod textus damnatus affirmat. Eſt igitur ab utroque illo capite *non parum utilitatis*, imò eſt non dubia neceſſitas, quæ nos cogat ſic exiſtimare, non errare Eccleſiam in condendis ejuſmodi decretis. Non poſſunt homines è ſectâ non agnoſcere *utilitatem* facere, ut Eccleſia ſit immunis ab erroris periculo in altero ex his longioribus textibus comprobando. Ergo & in altero longiori textu damnando *utilitas*, pariter Eccleſiam ab omni erroris periculo vindicabit.

Idne audebunt homines è ſecta profiteri, dum Eccleſia vulgatam editionem authenticam eſſe declaravit, hanc declarationem non alio nixam eſſe fundamento, præterquam evidentiâ pervulgatâ, &

de quâ nemo mentis compos contenderet ? Quis non videt, si illa authenticitas criticorum censuræ discutienda permitteretur, nullam fore in latinâ versione paginam, de quâ cum autographis conferendâ, non infinitas moverent quæstiones & controversias ? Nihil unquam fuit quod haberet minùs illius evidentiæ pervulgatæ, & de qua nemo mentis compos contenderet. Præterea verò evidentia illa, si quâ est, tota est penes rationem humanam ; neque enim hæc evidentia, quæ hominem omnem mentis compotem statim convincit, cadere unquam potest in consensionem inter se textuum variis linguis scriptorum, de quâ consensione critici & ii quidem eruditissimi contendunt. Hoc igitur decretum immune est ab erroris periculo non ex solâ facti evidentiâ pervulgatâ, sed ex promissionum divinarum vi ac fide. Si quis per summam temeritatem illâ authenticitate in dubium revocatâ dicere auderet (illa est *mera critica* controversia, *factumque momenti nullius*, satis est obsequioso se silentio continere ; ego facilè demonstraverim textum hunc non esse authenticum) Ecclesia non modò demonstrationem sibi oblatam non cognosceret, non modò non audiret argu-

menta

menta quibus ostenderetur subreptio; non modò non filios suos hortaretur, ut in facto ejusmodi tam perspicuo ac manifesto suam rationem adhiberent, sed contrà prohiberet disputationem omnem, cogeretque intentata anathematis pœnâ, cæcam ut vocant obedientiam exhibere. Igitur de illo decreto, quod ad textum aliquem longiorem pertinet, idem planè dicendum est, quod *obsequiosi silentii deffensor* ait de canone quo textus brevior dijudicatur. *Nulla facti controversia .... de canonibus.* p: 736.

2. Eadem synodus canonem condidit, quo id solum egit, ut textum eum, qui canon Missæ dicitur, Catholicum esse declararet. Primùm capite doctrinali decernit, textum illum esse *ita ab omni errore purum, ut nihil in eo contineatur, quod non maximè sanctitatem ac pietatem quamdam redoleat.* Deinde solemnem canonis formulam adjungit: *Si quis dixerit canonem Missæ errores continere, ideoque abrogandum esse, anathema sit.* Sess. 22. cap. 4. Ib. can. 6.

Missæ textus est sanè longiusculus. De illo tamen longiore textu Ecclesia sic decernit, ut adhibeat canonis formam, in quâ positam esse infallibilitatem vel ipsi homines è sectâ confitentur. Igitur synodus tàm in eo longiore textu, quam

in textibus brevioribus dijudicandis, auctoritatem ab omni erroris periculo immunem exercet.

Neque verò excipere possunt homines è sectâ, synodum Tridentinam id unum agere, ut pronunciet Catholicum esse sensum eum, quem sibi videtur in eo textu cernere, licet in eo sensu discernendo non se ab omni erroris periculo immunem existimet. Illud quippe deffendi non potest, nisi dicatur sensum dumtaxat per se sumptum atque à textu sejunctum à Concilio probari, neque ad textum ipsum comprobandum auctoritatem Canonis accedere. Atqui hoc dici nulla ratio patitur. Synodus non declarat purum esse quemdam sensum vagum, & ab eo quo significatur textu sejunctum. Ipsum nominatim Missę textum declarat *ab omni errore purum* esse, ipsum proponit tanquam quo nullus error contineatur. Errores continere est eos significare. Hanc quidem puritatem habet textus à suâ propriâ ac nativâ significatione; sed eam denique puritatem inesse textui synodus pronunciat. Igitur decernit eo textu, si proprio ac nativo sensu sumatur, nullum errorem significari, sed sensum valdè purum exhiberi. Atqui totum illud canone decer-

fiit. Ergo decernit absque erroris periculo. Illa quæstio de propriâ ac nativâ textûs cujuspiam significatione, ea ipsa est quam homines è sectâ facti controversiam appellant, *quis sit sensus*. Atqui hanc ipsam nominatim synodus dijudicat, cum statuit Missæ textu nullos *errores contineri*, hoc est significari. Hæc est propria canonis materia sine erroris periculo decernentis.

Præterea dicere non possunt homines è sectâ id fuisse Concilii Patribus hoc canone propositum, ut errorem aliquem damnarent, aut aliquod fidei dogma statuerent, verbo dicam, ut de aliquâ, sic enim loqui amant, juris controversiâ pronunciarent. Eo canone nullum dogmaticum decretum ad cæteros Concilii canones adjungitur. Reliquis canonibus statuuntur ea dogmata quæ erant statuenda, quæ verò reprobanda erant reprobantur. Manifestum est Concilium eo canone nihil aliud agere, quam ut textum eum deffendat, quem Protestantes indecorum, absurdum, superstitiosum esse criminabantur. Quare cum auctoritas veri canonis ab omni erroris periculo sejuncta pertineat ad hanc meram de aliquo textu controversiam, manifestum est Concilium hoc loco auctoritatem hanc ab omni erroris periculo se-

junctam in merâ de aliquo textu controversiâ prorsùs adhibere.

Neque illud dicere homines è sectâ possunt, Concilium cum de Missæ textu pronunciat, solâ textûs illius evidentiâ pervulgatâ & minimè controversâ niti. Nunquam verò suos canones Ecclesia niti voluit aliquâ quæ credatur esse evidentia naturalis, atque ab humanâ ratione pendeat. Possunt sanè canones esse humanæ rationi consentientes, sed auctoritatem habent ratione superiorem, ac promissionibus divinis tanquam fundamento nituntur. Ipse verò Missæ textus tantum aberat, ut puritatem eam haberet, de quâ nemo posset nisi delirus contendere, ut contrà tum temporis contenderent & Protestantes doctrinâ conspicui, & eruditi Critici, quorum erat immoderata vel intra Ecclesiæ sinum libertas ac licentia. Nemini unquam viro Catholico contingat, ut quidquam in iis quæ contra objiciuntur esse momenti putet. At ea certè objecta sunt à Criticis quibusdam temerariis, ut videre est apud Bellarminum & alios Theologos Polemicos, atque indè satis apertè conficitur, textum eum adversùs quem argumenta ejusmodi proponuntur, non habere pervulgatam illam evidentiam, quæ statim

quemvis non delirum permovet atque assentiri cogit. Manifestum est nullum fore de eâ quæstione disputandi finem, si ea liberæ Criticorum censuræ permitteretur. Verùm illam posthabitis omnibus criticæ subtilioris atque audacioris argumentis auctoritas Ecclesiæ suprema dijudicavit.

Id unum superest inquirendum, an Ecclesia jam post eum canonem sancitum, pateretur eâ ratione disputari de Missæ textu, quâ homines è sectâ de Jansenii textu disputant. Liceretne cùipiam illud profiteri, se credere quidem sensum eum quem illi textui Ecclesia tribuit, esse purissimum, atque adeò se parere & obsequi in juris controversiâ, sed alteram illam controversiam in eo positam, an sensus ille purissimus Missæ textu verè significetur necne, ad meram criticam pertinere, factum esse momenti nullius, de quo satis sit obsequiosi silentii leges observare? Estne cuiquam dubium, quis tum futurus esset Ecclesiæ sensus, quæ agendi ratio? Nonne ad hanc distinctionem opponeret illud ipsum anathema, quod eo canone continetur? Nonne cum indignatione repudiaret temperationem omnem, quâ suum decretum inter incertas res poneretur?

Nonne debet fidelis quisque propositâ anathematis pænâ tam de illo longiore textu, quam de aliquo textu breviore dicere, id quod generatim *obsequiosi silentii deffensor* pronunciat, *Nulla facti*
p. 736. *controversia .... de canonibus*? Habemus hic canonem de textu longiore decernentem. Igitur nulla est de eo longiore textu facti controversia, sicuti nulla est de textibus brevioribus, quos Ecclesia canonibus aliis dijudicat.

X I V.

De epistolâ scriptâ ab Episcopis Galliæ quinque & octoginta ad Janseniani libri condemnationem ab Innocentio X. summo Pontifice postulandam.

POstquam Ecclesiæ traditionem demonstravimus in quarto Concilio, in quinto, in sexto, in septimo, in Constantiensi, in Tridentino, possemus eo deinceps labore supersedere, ut eam alibi demonstraremus, siquidem promissionum divinarum fides certos nos facit minimè variatam esse hanc traditionem, neque ullo unquam sæculo vel interpellari pos-

ſe vel imminui. Nemo dum hæc leget, ſi modò promiſſiones, & traditionis ipſius naturam noverit, poterit dubitare quin eâ in re ſæcula omnia conſimilia ſint iis, quibus illa Concilia celebrata ſunt. Sed nimirum vel ad animos hominum præjudiciis laborantium ab errore revocandos, vel ad juvandos eos qui rem tanti momenti ſibi perſuaderi penitùs & pluribus rationum momentis probari cupiunt, operæ pretium erit oſtendere, quantùm temporis noſtri traditio cum traditione ſæculorum aliorum conſentiat & conſpiret.

Verùm priuſquam de monumentis Eccleſiaſticis, quæ ab annis admodum ſexaginta prodierunt, accuratè diſputamus, denunciamus ultrò nos id unum agere, ut ſepoſitis variis opinionibus, demonſtremus Janſenii textum ab auctoritate eâ quæ obnoxia non ſit errori, fuiſſe damnatum, neque illud nos ullo pacto expendere velle, in quo præſertim ac definitè auctoritas illa ſita ſit. Noſtrum non eſt quæſtionem eam pertractare, quæ nihil prorsùs ad noſtram attinet. Nobis ſatis eſt, ſi dilucidè probaverimus Clero Gallicano jam ab annis admodum ſexaginta viſam eſſe infallibilem auctoritatem eam, quæ adversùs Janſenii

textum pronuntiavit. Singulæ sanè scholæ Catholicæ pro suo arbitratu ac præjudicio explicent, in quo nominatim ac definitè suprema illa auctoritas sita esse debeat. Non est nobis animus ulli ex his scholis hoc loco contradicere ; nullum aliud consilium nostrum est, quam ut omnes in eo conspirent, quod res omnium communis postulat, ut agnoscant auctoritatem aliquam, quæ absque erroris periculo decernat de vocibus iis, sine quibus neque designari sensus revelatus, neque transmitti potest.

Offerunt se nobis primùm 85. Galliæ Episcopi, qui anno 1650. ad summum Pontificem Innocentium X. scribunt, atque illum obsecrant, ut ad Janseniani libri damnationem jam ab Urbano VIII. decretam ipse damnationem ejusdem textûs alteram adjungat, quâ errores eo libro contentos nominatim appellet, ac suam singulis censuram ac notam apponat. *Nulli sigillatim propositioni*, inquiebant Præsules, *certa censura nota inusta fuit.* De ipso quippe libro nominatim agebatur. Nondum propositiones extra librum prodierant in apertam lucem, omnis controversia tum temporis ex solo libro nascebatur, atque ad illum pertinebat. *Decennium est*, aiebant Episcopi,

ex quo vehementissimis turbis Gallia magno nostro mærore commovetur ob librum posthumum & doctrinam Rev. Cornelii Jansenii. Solus igitur liber appellatur, solus ille fons erroris disseminati & tumultûs excitati causa esse dicitur. De solo libro Clerus postulat, ut errores singuli suis definitis ac propriis censuris notentur. Imò & quæ sunt consecuta, planum facient non actum fuisse tum de breviore quinque propositionum textu, nisi propter textum libri longiorem. Nam cum homines è sectâ voluissent breviore textu prætermisso longiorem textum damnationi subducere, Innocentius X. ut videbimus modò, declaravit breviorem textum à se fuisse damnatum propter textum longiorem, quo alterius errores continebantur. Superest igitur, ut ab Episcopis quinque & octoginta discamus, quænam sit auctoritas, an immunis ab errore, an obnoxia errori de utroque illo textu judicatura. Primum veluti fundamentum ponunt, *fidem Petri nunquam deficientem.* Deindè *precantur*, ut quid in hac re sentiendum sit, *clarè distinctèque definiatur.* Non postulant judicium quoddam evidentiâ nixum & ad humanam rationem accommodatum, non probabilitatem aliquam,

non præjudicium aliquâ dignum obſervantiâ, ſed *definitionem*, quæ rationem humanam compeſcat, quæ eam redigat in captivitatem, quæ ab omni diſceptatione & inquiſitione prohibeat. Addunt eamdem hoc loco adhibendam eſſe *auctoritatem*, quæ nuper *in gemini Eccleſiæ capitis errore profligando valuerat*, cum *continuò ſedata eſt tempeſtas, atque ad Chriſti vocem & imperium venti & mare obedierunt*. Hoc ipſum eſt, quod quinque & octoginta Epiſcopi expectant. Affirmant Eccleſiam de Janſenii textu pronuntiaturam eadem illâ ſupremâ auctoritate, quâ pronuntiaverat de quæſtione dogmaticâ *gemini Eccleſiæ capitis*. Nimirum *fides Petri nunquam deficiens* ad *confirmandos fratres* ſuos in eo judicio non deficiet. Nimirum loquetur Chriſtus, & imperabit *ventis*, ut ad ejus vocem & *imperium ſedetur tempeſtas*. Expectant Epiſcopi, ut *clara firmaque .... proferatur ſententia*, expectant *perſpicuam ac certam .... ſententiam*, quæ ut ipſi quidem loquuntur, *caliginem omnem diſcutiat, animos fluctantes componat, diſſidia prohibeat, Eccleſiæ tranquillitatem ſplendoremque reſtituat*. Sed hæc nimirum commoda non ab humanâ prudentiâ expectant, verum à promiſſionibus Chriſti, qui & *fidem Petri nunquam deficien-*

tem in Ecclesiâ præstat, & ubi opus est loquitur ad sedandam tempestatem.

Eritne verò quispiam, qui voces tam graves sic eludere conetur, ut dicat quinque & octoginta Episcopos officiosè atque urbanè scripsisse ad judicem, verbis auxisse id quod ab ipsius pietate ac prudentiâ sperabant, denique totum illud nihil esse præter quoddam vagum obsequii genus, opinionem quamdam præsumptam de futuri decreti æquitate, spem quamdam, fore ut Judex verè ac rectè pronunciet? Sed quid fiet illâ Ecclesiæ etiam in dijudicandis dogmatibus infallibilitate, si monumenta traditionis omnia, quibus non minùs quam illâ Præsulum Epistolâ distinctè significatur auctoritas immunis ab erroris periculo, detorquere licet ad opiniones quasdam confidentiùs præsumptas, aut verba plusquam satis est officiosa? Illudne dabitur Protestantibus, ut hanc ipsam hominum è sectâ responsionem totidem verbis usurpare possint? Dicentne, viris Catholicis etiam approbantibus, verba totius traditionis vel maximè magnifica & exquisita, quibus auctoritas infallibilis manifestè designatur, nihil esse præter voces ad urbanitatem compositas?

Atqui vel illud advertite, nihil esse

quod tam manifestè probet auctoritatem aliquam ultrò agnosci immunem ab erroris periculo, quam cum fides datur in antecessum obsequii decreto futuro absque ullâ exceptione exhibendi. Nam qui decretis jam latis obsequitur, is sanè potest existimari non priùs imperare sibi ut obsequatur, quam rem penitùs cognoverit, & quæ sunt constituta, legitimè constituta esse compererit. Qui verò sincerè & absque ullâ exceptione pollicetur, fore se decreto futuro cuicuimodi fuerit illud, obsequentem, is profectò non potest non facere temerè, præsertim ubi de religione agitur, nisi dum id pollicetur, persuasum habeat *fidem Petri nunquam defecturam* esse in Ecclesiâ, & Christum ad sedandam tempestatem locuturum.

Id nimirum sequebatur Illust. Bossuetius quondam Episcopus Meldensis, cum adversus Protestantes ita disputabat. *Hæc animi persuasio .... si præsumptione humanâ tanquam unico fundamento nitatur, non potest esse materia jurisjurandi tam solemnis, quo quis polliceatur fore ut decretum, quod nondum novit quale futurum sit, submisso animo accipiat. Non potest igitur ejusmodi persuasio quidquam habere quo nitatur, præter certam ac de-*

Conf. avec le Min. Claude p. 53.

finitam promissionem, fore ut Spiritus sanctus decretorio Ecclesiæ judicio præsit. Atqui Catholici hoc unum sibi dari postulant. Nos excepto jurejurando, quod non continetur Epistolâ à quinque & octoginta Episcopis scriptâ, & solis nominibus commutatis, sic arguemus. *Præsumptio humana non potest esse materia* fidei *tam solemnis, quâ quis polliceatur fore ut decretum, quod nondum novit quale futurum sit, submisso animo accipiat. Non potest igitur ejusmodi* fides *quidquam habere quo nitatur, præter certam ac definitam promissionem, fore ut Spiritus sanctus decretorio Ecclesiæ judicio* de Jansenii textu *præsit.* Et verò fidem ab omnibus fermè Galliæ Episcopis datam ipsi firmant non aliquâ præsumptione, quæ præsertim in ejusmodi causâ plurimis erroribus obnoxia solet esse, verùm *fide Petri nunquam deficiente*, & ipsius Christi voce, quæ debet usque ad consummationem sæculi *sedare tempestatem.*

Denique cætera omnia Gallicanorum Episcoporum monumenta, quæ brevi intervallo Epistolam hanc consecuta sunt, & in eodem argumento versantur, apertè demonstrant, quo animo scripta illa fuerit, & quis illius sermonis sensus proprius ac nativus esset. Hæc monumenta

mutuam sibi operam ac lucem præbenti

X V.

De comitiis Cleri Gallicani anni 1653.

ANno 1653. Episcopi triginta ita scripserunt ad Innocentium X. in accipiendâ ejus Constitutione. *Quo in negotio illud observatione dignum accidit, ut quemadmodum ad Episcoporum Africæ relationem, Innocentius I. Pelagianam hæresim damnavit olim, sic ad Gallicanorum Episcoporum consultationem, hæresim ex adverso Pelagianæ oppositam, Innocentius X. auctoritate suâ proscripserit. Enimverò vetustæ illius ætatis Ecclesia Catholica, solâ Cathedræ Petri communione & auctoritate fulta, quæ in decretali Epistola Innocentii ad Africanos datâ elucebat, quamque dein Zozimi altera ad universos orbis Episcopos Epistola subsecuta est, Pelagianæ hæresis damnationi absque cunctatione subscripsit. Perspectum enim habebat, non solum ex Christi Domini nostri pollicitatione Petro factâ, sed etiam ex actis Priorum Pontificum, & ex anathematismis adversùs Apollinarium & Macedonium, nondum ab ullâ synodo œcume-*

nicâ damnatos, à Damaso paulò anteà jactis, Judicia pro sanciendâ regulâ fidei à summis Pontificibus lata, super Episcoporum consultatione, (sive suam in actis relationis sententiam ponant, sive omittant, prout illis collibuerit) divinâ æquè ac summâ per universam Ecclesiam auctoritate niti: cui Christiani omnes ex officio, ipsius quoque mentis obsequium præstare teneantur. Eâ nos quoque sententiâ ac fide imbuti, Romanæ Ecclesiæ præsentem quæ in summo Pontifice Innocentio X. viget auctoritatem, debitâ observantiâ colentes constitutionem divini numinis instinctu à Beatitudine vestrâ conditam, nobisque traditam ab Illustrissimo Athenarum Episcopo, Nuncio Apostolico, & promulgandam curabimus in Ecclesiis ac Diœcesibus nostris, atque illius executionem apud fideles populos urgebimus.

Non magis lux solis ipso meridie, quam auctoritas infallibilis hâc totâ oratione collucet. Occurrit *divina æquè ac summa per universam Ecclesiam auctoritas, cui Christiani omnes ex officio ipsius quoque mentis obsequium præstare teneantur.* Memoratur *Christi Domini nostri pollicitatio Petro facta.* Recensetur traditio, quæ passim exhibet decretoria ac suprema judicia sine *ullâ synodo œcumenicâ* prolata,

Agnoſcitur in eo qui pronuntiavit judice, *divini numinis instinctus.* Quamlibet ſanè Theologi contendant ac litigent, inquirentes à quo præſertim hæc auctoritas exerceatur. Noſtrum verò non eſt eam hoc loco quæſtionem pertractare. Agnoſcit certè hic Cleri Gallicani cœtus auctoritatem quamdam infallibilem, cujuſcumque demum illa ſit, quæ adversùs Janſenii textum pronuntiaverit. Fruſtrà verò excipient homines è ſectâ decretum illud ab auctoritate infallibili profectum, non pertinuiſſe niſi ad juris controverſiam dijudicandam, hoc eſt ad damnandas quinque propoſitiones. Nam prçterquamquod propoſitiones quinque ſunt textus quidam brevior, quemadmodum ipſe liber eſt textus alter longior, auctoritas autem infallibilis adversùs hunc utrumque textum æquè dogmaticum æquè decernit, neque aliâ ratione breviorem damnat, niſi quia longioris pars decerpta & ſumma quædam eſt, accedit quod ea ſuprema auctoritas, conſentiente, ut mox videbimus, eodem Clero Gallicano, pertinet potiſſimùm & directè ad textum longiorem aquo textus brevior decerptus eſt. Hæc de quâ diſputamus Cleri Gallicani Epiſtola clauditur his verbis. *Porro nos Innocentio X, cujus*

ore

ere Petrus locutus est, ut Leoni I. acclamat, quarta synodus, hanc divinam lauream gratulati, sacros inter Ecclesiæ fastos, quod olim de synodis œcumenicis fieri solitum, constitutionem istam ab eo editam lubentes ex animo reponemus &c.

XVI.

De Comitiis Cleri Gallicani annorum 1654. & 1655.

ANni 1654. cœtus Præsulibus quadraginta constabat. Hujus ad Innocentium X. scribentis verba sunt. Jansenii deffensores *è vetere fidei deposito, cujus custodia cathedræ Petri à Christo concredita est, partem adimere tentant.* At quænam est illa *depositi pars*? Nempè Jansenii deffensores in quinque propositionum hæreticitate confitendâ, hoc est in textu breviore damnando, se ultrò parere prædicabant, in alterâ *depositi parte*, quæ longioris textûs seu Janseniani libri hæreticitate agnoscendâ continebatur, obsequi nolebant. *Quinque etenim propositiones*, ut habet Cleri Gallicani epistola, *decreto illo proscriptas damnare se quoque profitentur: sed alio planè sensu quam qui a Jansenio traditus & explica-*

tus est, ad quem propositiones illas nullà-tenùs pertinere constantissimè asserunt. Igitur Gallicanis Præsulibus videntur Ecclesiæ nonnisi mediam *depositi partem* relinquere, videntur *è vetere fidei deposito partem adimere* ii, qui dum Ecclesiæ credere se profitentur in textu breviore damnando, eidem in damnando textu longiore credere se posse negant. Hinc adeò factum est, ut Clerus ita decerneret. *Quare .... nos in hac urbe Parisiensi congregati censuimus & per epistolam encyclicam his litteris adjunctam declaravimus propositiones illas & opiniones esse Cornelii Jansenii, & in sensu ejusdem Jansenii à sanctitate vestrâ damnatas disertis & manifestis verbis.* Clerus igitur postquam ostendit auctoritatem ab erroris periculo sejunctam pertinere ad *veteris depositi partem*, sive agatur de breviore, sive de longiore textu dijudicando, affirmat hanc libri Janseniani causam finitam *Constitutione suâ* ab *Innocentio X.* eâdem prorsùs ratione fuisse, quâ ejus *decessores Innocentius I. & Zosimus* Pelagianorum causam *coöperantibus Africanorum Conciliorum litteris* finierant. Hinc idem Clerus *Constitutionem ordine Canonico latam* esse pronuntiat. Epistola verò quæ ab eodem Clero scripta tùm temporis est ad omnes

Aug. l. 2. retract. c. 50.

Regni Episcopos de Jansenii deffensoribus hæc habet : *homines illi affirmare, imò & persuadere aliis volunt res duas vanas omninò & inanes ; alteram, quinque illas propositiones non esse Jansenii ; alteram damnatas esse eo in sensu qui ad Jansenium nihil pertineat.* Tum addit, illi commento *refellendo revincendoque nihil opus esse rationibus ; nihil disquisitione etiam mediocri aut levi, sed solâ Pontificiæ Constitutionis, quæ per se ipsa rem totam apertè dirimit, lectione.* Atque illud advertite, hos Præsules, neque probabilitatem quamdam commemorare, neque etiam *rationes* manifestas. *Nihil opus est*, inquiunt, *rationibus, nihil disquisitione etiam mediocri aut levi.* Solam prorsùs auctoritatem appellant, quia nimirum *solâ Pontificiæ Constitutionis lectione* causa finita est. Addunt *solam per se ad id sufficere constitutionem*, ut cuivis *manifestum ac perspectum sit, illas quinque propositiones verè esse Jansenii, & damnatas esse in vero ac proprio verborum sensu, & eo planè quo à Jansenio traduntur & explicantur.* Est igitur tam perspicuum quam quod maximè, Præsules illos sic existimasse, in eâ re supremam auctoritatem imperare rationi, non ipsius rei evidentiam cum libero ra-

tionis usu conjunctam facere, ut auctoritati pareatur. Manifestum est Ecclesiam his præsulibus videri de Janseniani textûs hæreticitate decrevisse, atque hoc decretum pertinere ad *vetus fidei depositum, cujus custodia Cathedræ Petri à Christo concredita est*. Quare quidquid iidem Præsules anteà de Constitutione ipsâ dixerant, pertinet ad illam *veteris depositi partem*, cujus vi Jansenii textus damnatus est. Atque hinc efficitur magnificas Cleri Gallicani voces auctoritatem quamdam infallibilem agnoscentis pertinere, prout illæ ab ipso Clero explicantur, ad eam *veteris depositi partem*, quam Jansenii deffensores eo nomine *adimere tentabant*, quod hæc tota esset de facto non revelato controversia.

Ipse Innocentius X. eodem anno quæcumque Clerus ad explicandam ipsius Constitutionem dixerat, scripto brevi confirmavit. *Constitutione nostrâ*, inquit, *damnavimus in quinque propositionibus Cornelii Jansenii doctrinam ejus libro contentam, cui titulus* Augustinus. Illustrissimus Episcopus Lutevensis, cui breve hoc ab ipso summo Pontifice traditum fuerat, Clero Gallicano retulit, summum Pontificem declarasse nihil sibi contigisse in suo Pontificatu jucundius,

quàm illam suæ constitutionis explicationem à Clero propositam.

Cœtus Episcoporum septemdecim habitus anno 1655. ad omnes Regni Episcopos ita scripsit : *ad factum quod pertinet, sua sanctitas postremo suo brevi scripto 9. die Septembris consequentis, quodque Illust. Lutevensis Episcopus ad nos detulit, significat non modò nostram agendi rationem fuisse sibi acceptissimam, sed etiam nos suam mentem prorsùs esse assecutos.*

Quare & summus Pontifex confirmat id quod fuerat à Clero dictum de illâ *veteris depositi parte*, quæ versatur in dijudicandâ textuum sive breviorum sive etiam longiorum hæreticitate, & cœtus Episcoporum septemdecim confirmat nominatim ac distinctè de Jansenii textu, quidquid generatim in anterioribus cœtibus de universo Ecclesiæ decreto fuerat pronuntiatum.

XVII.

De Comitiis Cleri Gallicani anni 1656.

COetus ejuſdem Cleri conſtans 40. Præſulibus, ita ſcribebat ad Alexandrum VII. de Brevi ab ipſius deceſſore ſcripto. *Eâdem ſanè mentis alacritate illud ſuſcepimus, quâ Concilii Africani Patres ab ipſis expetitam Zoſimi epiſtolam amplexi ſunt, quæ Pelagii atque Cœleſtii errores, quos clanculùm propalabant, peremptorio decreto proſtravit.* Perſpicitis hìc agi de auctoritate eâ, quæ fallere nos non poſſit, qualis *peremptorio decreto* continetur ad Janſenii cauſam, non minùs quam decreto Zoſimi ad cauſam Pelagii. Deinde Clerus hæc verba ſubjungit. *Nova ſecta diſcipuli .... ut à capitibus ſuis fulminis Apoſtolici amoliantur ictum, ... ad* FACTI QUÆSTIONEM, IN QUA ECCESIAM FALLI POSSE DOCENT, *controverſiam deducere nituntur. Quas ingeniorum verſutias verâ prudentique verborum complexione infregit breve Apoſtolicum, quod tricis illis ſyllabarum ad umbratiles ſcholarum diſputationes relegatis, deciſioniſque auctoritate ad Juris*

quæstionem restrictâ, *doctrinam Jansenii, quam opere suo ille explicuit in propositionum confixarum materiâ*, *Pontificiâ constitutione damnatam fuisse declarat.* Nihil est hâc ratione clarius, nihil expressius. Clerus affirmat quæstionem decisam esse ipsam quæstionem de Janseniani textûs hæreticitate *in propositionum confixarum materiâ.* Hanc Janseniani textûs hæreticitatem Clerus ait non esse *facti quæstionem*, *in quâ* Janseniani libri deffensores *Ecclesiam falli posse docent.* Clerus vult quæstionem *restrictam* ad hæreticitatem textûs esse *juris quæstionem*, in quâ dijudicandâ Ecclesia est immunis ab erroris periculo. Nimirum nitebantur tum temporis homines è sectâ, atque omni ope contendebant factum personæ proprium positum in ipsâ scriptoris mente confundere cum quæstione de hæreticitate textûs. Præterea sibi prę-sidium aliquod esse sperabant in ipsis propositionum quinque vocibus : quippè propositiones eas non totidem verbis, certè non eodem ordine positis in libro reperiri contendebant. Verùm Sedes Apostolica *tricas illas syllabarum* prę-ciderat, *decisionis auctoritate ad juris quæstionem restrictâ*, quę juris quæstio in eo posita est, ut statuatur hæreses quinque

libro contineri. Hæc nimirum est non *facti quæstio, in quâ Ecclesia falli possit*, sed vera *juris quæstio*, in qua dijudicandâ Ecclesia est immunis ab erroris periculo. His ductus Clerus Gallicanus existimavit hanc decisionem promissionibus divinis nixam esse ejusmodi, ut ei parere prorsùs humanam rationem oporteat. Hæc erant Cleri Gallicani ad Christi Vicarium scribentis verba, quæ Sedes Apostolica non modò damnavit nunquam, sed etiam ultrò confirmare & rata habere visa est.

Mirum igitur videri non debet, quod idem cœtus anni 1656. suam haberi voluerit eam omnium quæ in hâc causa gesta fuerant expositionem, quam aiunt ab Illust. de Marcâ tum Archiepiscopo Tolosano fuisse conscriptam. Hæc erat Cleri oratio. *Non est hujus instituti nec loci disputare de iis finibus, quibus circumscribi debet illud, quod de errore facti pronunciatum est..... Illud certè pertinet ad causas privatas & speciales, ut sanctus Leo Papa loquitur, quæ coram Conciliis & summis Pontificibus discutiuntur. Verùm opera pretium est, ad eos qui infirmi sunt in fide, ne fortè aliis in occasionibus decipiantur, docendos subjungere, hoc locum non habere in con-*

Relat. def. deliber. p. 20.

troversiis facti necessario conjuncti cum fidei dogmatibus aut cum generalibus Ecclesiæ moribus, quæ nituntur sacrarum auctoritate Paginarum, quarum interpretatio pendet a catholicâ traditione, quæ constanti Patrum per omnes ætates testimonio demonstratur. Hanc traditionem, QUÆ IN FACTO CONSISTIT, DECLARANTIS ECCLESIÆ EADEM EST INFALLIBILIS, QUÆ DE FIDE JUDICANTIS AUCTORITAS: Alioquin *omnia Christianæ religionis dogmata dubia incertaque esse contingeret, quod cum stabili & constanti fidei veritate pugnat.* Illud advertite, Clerum Gallicanum accuratè S. Thomæ vestigia persequi. Distinguit, quemadmodum & sanctus Doctor distinxerat, *facta particularia*, & personarum propria, in quibus dijudicandis fieri potest ut erret Ecclesia *propter falsos testes*, ab illis factis, quibus traditionis series constat, in quibus errare non posset Ecclesia, ut non etiam in traditione dijudicandâ erraret: Verbi gratiâ, *facta propria personarum*, quæ in mente ac cogitatione scriptorum posita sunt, sanctus Thomas vocat *facta particularia*, Clerus Gallicanus *causas privatas & speciales*. Quod verò pertinet ad controversias *facti necessario conjucti cum fidei dogmati-*

bus, *aut cum generalibus Ecclesiæ moribus*, Clerus admonet illud *quod de errore facti pronunciatum est*, in ejusmodi factis *locum non habere*. Enimverò *traditio* nonnisi *constanti Patrum per omnes ætates testimonio demonstratur*. Ipsa traditio quatenus est *sermonis fidelis* ab Apostolis ad nos usque transmissio, est collectio textuum, quorum ope depositum hoc transmissum est. Quare si fieri posset, ut erraret Ecclesia in æstimandis illis textibus, qui sunt veluti traditionis corpus, quemadmodum in textuum eorumdem sensu traditionis anima posita est, posset quoque fieri, ut Ecclesia erraret in dijudicandâ traditione, à quâ pendet scripturarum interpretatio. Tum verò Ecclesia errare posset in utroque verbo, scripto & non scripto, quo utroque fides nostra constitui ac dirigi debet. Necesse est igitur, ut Ecclesia absque erroris periculo judicet de facto posito in illis textibus, quibus traditio constat, quoniam *traditio in factis consistit*. Necesse est ut falsæ traditionis textus discernat à veræ traditionis textibus; atque id præstat *eâdem infallibili*, *quâ de fide judicat*, *auctoritate*, quia fides ipsa nititur illo veræ traditionis à falsâ discrimine faciendo.

Neque verò dicere quisquam potest, nisi se manifestè malæ fidei reum ostendat, hanc orationem vagam habitam à Clero Gallicano fuisse, in quâ nihil sit, quod ad Jansenii textum definitè pertineat. Nam & id qui diceret, orationem Clero tribueret abhorrentem à proposito & nullâ ratione nixam, aut certè captiosam & fallacem, & præterea ex hoc ipso loco patet quò præsertim velit Clerus ea quæ mox retulimus verba pertinere. *Vis decisionis*, inquit, PERTINET AD QUÆSTIONEM JURIS, *hoc est ad damnandas eas opiniones quas hic scriptor docet suo libro, cui titulus* AUGUSTINUS, *in materiâ quinque propositionum. Nam quæstionem quidem facti, nimirum an hæ propositiones libro Jansenii contineantur, homines illi non satis accuratè ponunt, atque ad eam tamen volunt controversiam omnem deducere, ut nimirùm constitutionem inutilem reddant* EO NOMINE, QUOD ECCLESIA IN FACTI QUÆSTIONIBUS DIJUDICANDIS ERRARE POSSIT. *Neque verò necesse est expendere, an singulæ propositiones quinque in Jansenii libro totidem verbis descriptæ jaceant, verùm perspicere dumtaxat an Jansenii liber opinionem ullam in materiâ quinque propositionum disceptet, perpendat aut doceat. Atqui con-*

ſtat Janſenium ſuo libro dogmata ejuſmodi tradere, de ejuſmodi doctrinis diſputare. Jam illæ opiniones ſunt, illa dogmata, illæ doctrinæ, quæ conſtitutione damnantur, quemadmodum ſua ſanctitas ſcripto brevi declaravit. Perſpicitis Cleri expoſitionem & Epiſtolam ad ſummum Pontificem tum principiis tum oratione conſentire inter ſe, ac prorsùs congruere. Perſpicitis hanc eſſe Cleri ſententiam, quæſtionem de hæreticitate longioris Janſeniani libri textûs eſſe *quæſtionem juris* non minùs, quam quæſtionem de hæreticitate brevioris textûs quinque propoſitionum, neque hanc eſſe facti quæſtionem in *ſyllabarum tricis* poſitam, eo nomine quod *Eccleſia in facti quæſtionibus errare poſſit*. Atque hinc factum eſt, ut Clerus ſtatim id ſubjungeret, ſi quis velit hæreticitatem textûs ejuſmodi inter facta recenſere, certè *errorem facti .... locum non habere* in ejuſmodi facto, quia nimirùm illud *declarantis Eccleſiæ eadem eſt infallibilis, quæ de fide judicantis auctoritas*. Hoc veluti fundamentum auctoritatis ſupremæ Clerus ſtatim ponit ac ſubſternit illi monumentorum Eccleſiaſticorum, quæ deindè recitat, ſeriei. Hoc præcipuum atque inſigne quaſi fronti expoſitionis præfigitur; ut fide-

les omnes in illo instrumento statim deprehendant Ecclesiam in finiendâ textûs Janseniani causâ auctoritatem sibi tribuere immunem ab erroris periculo. Frustrà verò homines è sectâ clamant hanc expositionem ab Illust. Domino de Marcâ fuisse perscriptam. Quid enim omninò interest, ab eone Illustrissimo Præsule, an à quovis alio ejus scribendæ consilium initum fuerit? Quis ignorat necesse fuisse, ut ea adornaretur vel ab eo Præsule, vel ab alio quopiam cui illius adornandæ partes commissæ sint? Potuitnè verò à doctiore ullo & prudentiore Præsule adornari? Nonne Conciliorum symbola & Canones præscribi solent ab uno aliquo viro, cui hæc cura Concilii nomine imponitur? Deinde textus illi præscripti expenduntur à Concilio atque adoptantur. Hanc rationem tenuit cœtus anni 1656. Dicentne etiam Epistolam Cleri ad summum Pontificem ab Illust. Domino de Marcâ scriptam fuisse? Id quidem poni nos ultrò patiemur, at illos certe duos textus Clerus frequens & expendit & adoptavit, quemadmodum Concilia symbolorum canonumque textus & expendunt & adoptant. Atque etiamsi auderent homines è secta revocare in dubium, an ea

expoſitio à Clero fuerit adoptata, nihil tamen ex hac ſuâ dubitatione commodi caperent, ſiquidem Epiſtola ab ipſo Clero ſcripta ad ſummum Pontificem, ſi verba ſpectemus, gravior eſt & magis peremptoria, quam expoſitio. Nam illud certè expoſitio dici non vetat, quæſtionem de Janſenii libro eſſe facti quæſtionem, modò factum ejuſmodi agnoſcatur ad jus pertinere, & illud *declarantis Eccleſiæ eamdem eſſe infallibilem auctoritatem, qua eſt de fide judicantis.* Epiſtola verò apertè ſtatuit quæſtionem hanc juris eſſe, non facti. Præterea verò nullus unquam textus magis ſolemni ritu probatus atque adoptatus fuit, quam hæc expoſitio. Primùm fuerat adornata ab Illuſt. Archiepiſcopo Toloſano, & ab Illuſt. Epiſcopis Montalbanenſi, &
Relat. des delib. p. 1. Carnotenſi, adjunctis Clariſſimis Abbatibus de Marmieſſe & de Villars tum Cleri, ut aiunt, res agentibus, quorum hic poſteà Archiepiſcopus Viennenſis fuit, ille Conſoranus Epiſcopus. Atque iſti quidem erant ad hanc expoſitionem conſcribendam nominatim à Clero delecti.
Ib. p. 17. Primâ Septembris die anni 1656. *Expoſitio de ſcripto recitata eſt* frequenti cætu. Sunt & hæc deindè verba. *Præterea*
Ib. p. 27. *decretum eſt, ut hæc expoſitio in acta præ-*

ſcripta referretur, ſeparatimque typis ederetur cum conſtitutione, Apoſtolico brevi, diplomate Regio & litteris Epiſcoporum. Atque ut omnes intelligant quanto ſtudio Clerus exoptet, ut conſtitutioni pareatur per Apoſtolicum breve explicatæ, nimirum quatenùs eo declaratur conſtitutionem non minùs de libri ſeu longioris textûs quam de quinque propoſitionum ſeu textûs brevioris hæreticitate pronuntiaſſe voluit ut *omnes tum Epiſcopi, tum ex ſecundo ordine delegati huic deliberationi in actorum perſcriptorum tabulis ſubſcriberent, quod ad quartam uſque menſis diem dilatum, atque eo die præſtitum ab omnibus fuit.* Advertite poſt expoſitionem hanc è ſcripto recitatam quatuor fuiſſe Epiſcopis conceſſos dies, per quos eam recognoſcerent, quibus elapſis omnes expoſitioni ſubſcripſerint, prorsùs ut Conciliorum decretis vel maximè ratis & ſolemnibus ſubſcribi ſolet. Tùm frequens cœtus ſuis ad Regem litteris teſtabatur hâc *expoſitione omnia* quæ fuerant in eâ re geſta *contineri*. Idem his ad Reginam verbis ſcripſit. *Juſſimus expoſitionem ſcribi, quâ continetur quidquid Epiſcopi Gallicani per annos tres in hac causâ geſſerunt. Hanc ad Majeſtatem Veſtram mittimus &c.* Præterea ſic ad *Ib. p. 54.*

Cardinalem Mazarinum idèm cœtus scripsit. *Non dubitant Episcopi Gallicani .... quin Eminentiæ Vestræ valdè accepta sit ea expositio quam scribi jusserunt &c.* Illust. Archiepiscopus Narbonensis, qui cœtui præerat, hæc ad Regni Præsules verba scripsit. *Rogavimus Illust. Archiepiscopum Tolosanum, Illust. Episcopum Montablanensem, Illust. qui nuper vixit Episcopum Carnotensem, ... ut cum clarissimis Cleri Agentibus colligerent omnia quæ gesta in hac causâ fuerant, atque ad nos referrent &c.... Illustrissimi delegati nobis diligenter exposuêre singula quæ in hoc tam gravi negotio acta fuerant, atque ejus consilii fuerunt auctores, quod cum fuisset è scripto recitatum, omnes provinciæ post adhibitam deliberationem summo consensu amplexæ sunt.* Præterea leguntur hæc verba in actis per-

Ib. p. 99. scriptis sabbati, qui fuit dies secundus Septembris. *Decretum est, ut expositio quam frequens cœtus approbavit, in acta perscripta referretur.* Fuitne unquam textus ullus tam solemni ritu, tam bono jure adoptatus? Post deliberationem, nominatim delegantur plures Episcopi, atque antiqui Agentes ad instrumentum hoc adornandum; Illi adornant, & referunt ad frequentem cœtum; recitatur instru-

instrumentum, atque expenditur; tum adhibetur mora; instituitur deliberatio; denique decernitur, atque illud *omnes provinciæ post adhibitam deliberationem summo consensu amplectuntur*; Illi à delegatis omnibus subscribitur; Eam cœtus ipse suam agnoscit, atque adeò ad Regem, ad Reginam, ad Emin. Cardinalem Mazarinum, ad omnes è Regno Præsules suo nomine mittit, *jubet typis edi*, manet illa denique *inter acta perscripta*, ut proprium Cleri instrumentum. Atque hac expositione non tantùm facta quædam enarrantur, sed constituuntur etiam principia dogmatica, quorum initium & quasi fundamentum ponitur esse auctoritas infallibilis, quæ si deesset, incertum remaneret judicium illud, quod adversùs textum Jansenii prolatum est. Hoc unum est, quo omnia absolvuntur, quod in hac expositione manifestum est, ac veluti sponte suâ in oculos legentium incurrit; hanc doctrinam in eâ expositione Episcopi facere non potuerunt ut non tam clarè cernerent, quam solis radii meridianâ luce cernuntur; hæc ipsa est doctrina, quam ratam habuêre, quam adoptârunt, quam suam haberi voluerunt.

XVIII.

De Cleri Gallicani cætu anni 1660.

COetus anni 1660. & 1661. constans Episcopis quinque & quadraginta declaravit *quinque propositiones desumptas ex Jansenii libro, cui titulus* AUGUSTINUS, *hæreseos damnatas esse eo sensu, quo ab auctore tradita sunt, ita ut qui contradicentes ac rebelles fuerint, habendi sint hæretici, atque iis pœnis castigandi, quæ iisdem Constitutionibus decernuntur.*

Art. III.

Idem cœtus memorat *unum totius Ecclesiæ consensum ad Jansenii doctrinam in quinque propositionum materiâ, hæreseos damnandam.* Cœtum illum oporteret suprà quam dici potest, & cœco studio abreptum fuisse, & tyrannidem abhibuisse, si voluisset *hæreticos haberi* Theologos apprimè Catholicos, in quorum potestate situm non erat, ut contrà certam animi sententiam in *facto momenti nullius* fidem haberent illi decreto, quod statuebatur esse obnoxium errori, atque adeò fortasse falsum. Illust. S. Ponitii Episcopus, qui ad hunc cœtum delegatus accesserat, confitetur tertium hunc

Art. IV.

articulum *favisse Illust. Domini de Marcâ consilio* de statuendâ infallibilitate Ecclesiæ in dijudicandis textibus. Gravem sanè & quantivis pretii confessionem. *Silentii obsequiosi deffensor* de eo articulo sic loquitur longè etiam clariùs ac distinctiùs. *In quo fieri non potest, ut non cernatur ridicula Illustrissimi Domini de Marcâ in cœtu regnantis pertinacia in illo suo dogmate deffendendo, jus à facto sejungi non posse.* Quare fatetur ille scriptor *fieri non posse ut non cernatur* in tertio & quarto articulo infallibilitas in textibus diiudicandis. Hoc unum addit ad cœtûs illius auctoritatem infringendam, *veram perturbationum omnium causam inde esse repetendam*, quod tum *res, de quâ agebatur certa habita sit priùs quam eâ cognita & discußa fuerit, quod idem erat à prioribus cœtibus factitatum; neque satis eum videri de hominum sensu & existimatione sollicitum*, qui cœtuum ejusmodi deliberationes commemoret. Egregiam verò & perbrevem & percommodam rationem ad repudiandos cœtus illos omnes, qui auctoritatem hanc infallibilem aut decernunt, aut quasi certam posuêre. Verùm prætérquam quod Novatores singuli possent ejusmodi temerariis opinationibus omnium etiam Conci-

p. 1008.

p. 1274.

liorum auctoritatem elevare, accedit quod facilè perspicitur eum de quo loquimur cœtum rem hanc totam diligenter cognovisse, quandoquidem & illud idem adhibet, quod jam fuerat anno 1656. principii loco positum, & in eamdem planè mentem ac sententiam conspirans ritè deducit quod est illo posito consequens. Et verò quid esse causæ dicemus, cur anni 1656. Clerus aiebat quæstionem de hæreticitate Janseniani libri non esse *facti quæstionem*, in quâ falli possit Ecclesia, sed *quæstionem juris*, in quâ non possit errare? Nimirum quia non agitur hac in re de *syllabarum tricis*; nimirum quia Ecclesia suæ *decisionis auctoritatem ad* illud *restringit*, ut *doctrinam Jansenii, quam opere suo illo explicuit in propositionum confixarum materiâ*, hæreticam esse *declaret*. Hanc juris quæstionem anno 1656. Clerus appellabat. Atqui eadem prorsùs explicandi ratio post annos quatuor adhibetur ab illo cœtu, qui anno 1660. fuit. Ecclesia, inquiunt hi 45. Præsules, *Jansenii doctrinam in quinque propositionum materiâ hæreseos damnat*. Nullum hîc locum habeant *syllabarum tricæ*, quas homines è sectâ memorant. Est hæc dogmatica quæstio, scilicet non minùs de textûs

longioris Janseniani libri, quam de brevioris quinque propositionum textûs hæreticitate. Hæc nimirum dogmatica quæstio *uno totius Ecclesiæ consensu* dijudicatâ est. *Jansenii doctrina in quinque propositionum materiâ hæreseos damnata est.* Quisquis hanc doctrinam veluti Catholicam propugnare voluerit, ipse est hæreticus. Neque minùs hæreticus est, si longiorem libri textum, quam si textum breviorem quinque propositionum damnare abnuerit. Quippe tum abnuit audire Ecclesiam, quæ dirimit quæstiones ejusmodi de textibus, *eâdem illâ infallibili, quâ de fide judicat auctoritate.* Hoc quasi fundamento Clerus nititur, dum jubet eos *haberi hæreticos*, qui Janseniani textûs hæreticitatem agnoscere obstinatè recusarent. Eâ conclusione nihil clarius est, nihil distinctius, nihil prudentiùs, nihil magis consequens. Clerus hac ratione sibi planè constat, & anno 1660. repetit id quod anno 1656. tam graviter constituerat. Exclamant homines è sectâ, illam esse perpetuò *ridiculam Illust. Domini de Marca pertinaciam.* Nos commutatis nominibus, dicamus potiùs eamdem esse doctrinam, quam Clerus perpetuò & sine intermissione deffendit. Non *habentur hæretici*, nisi

qui hæretici sunt, quia recusant obstinatè id quod Ecclesia præcipit. Necesse est igitur esse aliquam hæresim eorum, qui *unum totius Ecclesiæ consensum* in agnoscendâ Janseniani textûs hæreticitate repudiant. Si nihil est præter *factum momenti nullius* ad juris controversiam, fieri sine summâ injuriâ non potest, ut *habeantur hæretici* qui factum illud non credunt. Sin verò factum illud quod dicitur, summi est ad juris controversiam momenti, possunt *haberi hæretici* qui eâ in re *unum totius Ecclesiæ consensum* obstinatè repudiant. Est igitur manifestum, non modò Clerum anno 1660. *favisse consilio Illust. Domini de Marca*, quod fatetur Illust. sancti Pontii Episcopus, sed etiam quod fatetur *obsequiosi silentii* deffensor, *fieri non posse ut non cernatur* in totâ cœtûs illius oratione, id quod scriptor ille *ridiculam Illust. Domini de Marca pertinaciam appellat.*

X I X.

De Cleri Gallicani cœtu anni 1675.

EA celebris expositio quæ infallibilitatem Ecclesiæ in textibus dijudi-

candis tam graviter, tam distinctè confirmat, iterùm adoptata est à cœtu anni 1675. Præsulibus triginta constante. Hæc sunt verba alteri editioni adjuncta. *De iis quæ relata fuerant ad postremum cœtum Cleri Gallicani generalem san Germani celebratum anno 1675. præcedentium deliberationum expositionem .... quæ eorumdem cœtuum jussu fuerat edita, universam vel distractam esse vel sublatam, sic ut ejus nullum jam reperiri posset exemplar, Illustrissimi Archiepiscopi & Episcopi cœtûs ejusdem, aliique delegati* CENSUERUNT NECESSE ESSE, UT PROCURETUR EDITIO ALTERA, *si ita Regi videatur, tùm ut ad posteros transmittatur &c...... atque adeò hæc cura demandata est Illust. Archiepiscopo Parisiensi qui huic cœtui præerat. Quippe hæc editio altera visa est fore ad firmandam pacem accommodata ... si quidem pax ea prorsùs consistere non potest, nisi ejusdem Ecclesiæ decretis verè atque ex animo pareatur.*

Intelligitis Clerum anno 1675. perstare in eo adoptando, quod jam ab anno 1656. adoptaverat. Una mens utrobique est, una sententia. Non modò cœtus expositionem hanc probat, non modò utilem arbitratur, sed etiam *censent necesse ut procuretur editio altera*, quia

scilicet prior *universa vel distracta erat vel sublata* ab excursoribus & emissariis illius sectæ, quæ tam iniquo animo patitur eâ expositione tam apertè ac distinctè comprobari *ridiculam* illam *Illust. Domini de Marca pertinaciam* Si Clerus eam Illust. Domini de Marca doctrinam veluti *ridiculam* quamdam *pertinaciam* repudiasset, debuisset profectò damnare expositionem, quâ error ille palàm ac manifestè continetur. Non debuisset committere, ut *quæstio juris* appellaretur id quod erat *factum momenti nullius*, neque ut judicio, quod obnoxium esset errori, tribueretur *eadem illa infallibilis, quæ est Ecclesiæ de fide judicantis, auctoritas.* Si anni 1675. cœtus censuisset anni 1656 cœtum eâ in re peccavisse, debuisset nimirùm curam omnem & diligentiam impendere, ut peccatum istud perniciosum ac minimè ferendum emendaret. Imo verò *censet necesse esse, ut procuretur editio altera* illius instrumenti, quod jam *superiorum cœtuum jussu fuerat editum*. Sed quamobrem necesse est ? Nempè *ut ad posteros transmittatur &c.....* Nempè *ad firmandam pacem ..... quæ prorsùs consistere non potest, nisi ejusdem Ecclesiæ decretis verè atque ex animo pareatur.* Hujus alterius

editionis *cura demandatur Illust. Archiepiscopo, qui huic cœtui praerat.* Ea, ipso inspiciente, procurante, imperante absolvitur. Quæ fuit unquam adoptio magis solemnis, aut illustriùs confirmata?

X X.

De Cleri Gallicani cœtu anni 1700.

HUic cœtui Præsulum sexdecim præfuit primum Illust. Archiepiscopus Rhemensis, deinde Emin. Cardinalis Noallius. Actum est in eo de propositionibus his quatuor.

1a. Jactabat *phantasma Jansenismi quæsitum ubique, sed nusquam repertum, præterquam in laboranti quorumdam phantasiâ.*

2. Affirmabat constitutionibus summorum Pontificum *nihil aliud actum, quam ut renovarentur atque exacerbarentur disputationes ..... æquivoca verba esse adhibita ..... Episcopos denique Gallicanos libertates Ecclesiæ Gallicanæ sub earum asserendarum specie labefactasse, super recipiendâ constitutione Innocentii X. contra Jansenium.*

3. Addebat alterum Innocentii XII.

Breve *non parùm extenuavisse mitigationem illam præsumptam*, hoc est eam *mitigationem circa factum*, quam homines è sectâ *tentabant* ex priori ejusdem summi Pontificis Brevi *exsculpere*.

4. Denique erat ejusmodi. *Circa condemnationem* AUGUSTINI *Jansenii*, *opus esset collatione regulari habitâ vel coram judicibus à Romano Pontifice vel à Rege datis* &c.

Has quatuor propositiones frequens cœtus damnavit, ut *contumeliosas in Clerum Gallicanum*, *in summos Pontifices & in universam Ecclesiam*, ut *Schismaticas*, *& erroribus condemnatis faventes*. Atque in illâ censurâ hæc præsertim advertenda sunt.

1. Quid agitur hoc loco? An solus quinque propositionum textus brevior in controversiam venit? Minimè verò, neque unquam potest textus ille facere ut Jansenismus non sit *phantasma*. Quippe textus ille nunquam scriptus est, certè totus, ab ullo è sectâ scriptore, imò nullus est ex eâ scriptor, qui eum textum è se damnari non profiteatur. Hæreticitas longioris textûs Janseniani libri caput est ad probandum Jansenismum non esse phantasma. Agitur de *constitutione Innocentii X.* ab Episcopis Gallica-

nis *receptâ contra Jansenium*. Agitur, num admitti debeat, nec ne, *aliquid mitigationis circa factum*. Igitur propositiones illæ quatuor à Clero Gallicano damnatæ manifestè pertinent ad factum.

2. Cœtus pati non potest esse aliquos qui audeant dicere, Clerum longiùs progressum esse, & *libertates Ecclesiæ Gallicanæ labefactavisse super recipiendâ Constitutione Innocentii X. contra Jansenium*. Atqui Clerus in illâ constitutione accipiendâ declaraverat textûs Janseniani damnationem *a divinâ æquè ac summâ per universam Ecclesiam auctoritate profectam* esse, *non solum ex Christi Domini nostri pollicitatione Petro factâ, sed etiam* ex traditionis monumentis. Igitur hic cœtus, dum eos damnat qui Clerum his verbis longiùs progressum esse dicunt, hæc verba contra ipse comprobat, atque adoptat, tanquam quibus nihil nimium contineatur. Prætereà Episcopi in eâdem constitutione recipiendâ dixerant, illud decretum de Janseniani textûs hæreticitate, *divini numinis instinctu* fuisse *conditum*, atque illud conferebant cum eo judicio, quo Pelagii causa finita fuerat. Eum sanè oportet in meridianâ luce cæcutire, qui in verbis his omnibus auctoritatem non cernat immunem ab erro-

ris periculo. Hanc igitur gravissimam declarationem, quâ Ecclesia agnoscitur esse immunis ab erroris periculo in textibus dijudicandis, Clerus anni 1700. confirmat, hanc adoptat & facit suam, hanc adversùs homines è sectâ tuetur ac deffendit, hanc nimiam & exaggeratam haberi ferre non potest.

3. Clerus rejicit non sine indignatione illam temeritatem hominum è sectâ, qui flagitabant, ut iterùm cognosceretur *condemnatio* AUGUSTINI *Jansenii*, & *causa hac de integro retractaretur*, *tanquam tot Constitutionibus Apostolicis, etiam accedente Ecclesiarum consensione, causa nondum finita fuerit*. Atque huc revocanda est illa *deffensoris obsequiosi silentii* confessio. *Illud negari non potest, juxta loquendi rationem à sancto Augustino usurpari solitam, prorsùs idem esse, si dicatur causam esse finitam, quam si dicatur Ecclesiam tulisse judicium & minimè obnoxium errori, & nunquam revocandum*. Et verò S. Augustinus, ex quo ea loquendi ratio desumpta est, eam nunquam usurpat, nisi ut designet auctoritatem eam, quæ & propter divinas promissiones non possit errare, & debeat omnem intellectum humanum in captivitatem redigere. A sancto Augustino ma-

p. 875. & 876.

navit hæc oratio ad Ecclesiam universam, atque ita pervulgata est, ut ad plebem etiam omnem fidelem quasi devenerit. Est veluti consecrata locutio, est ipsius orthodoxiæ sermo. Nemo est inter Baccalaureos, qui eam penitùs non cognoverit, ubi semel in scholis audiit de sancti Augustini adversùs Pelagianos controversiâ. Illudne verò homines è sectâ dicere audeant, universum anni 1700. cœtum prorsùs ignoravisse quid sibi vellet ista tam vulgaris oratio? sustineantne hoc deffendere, Præsules eos omnes, atque adeò etiam Emin. Cardinalem Noallium, Illustrissimum Arch. Rhemensem, Illust. Bossuetium qui tum erat Episcopus Meldensis, illud nesciisse, quod nulli Theologo nescire licet? Quis non intelligit Illustrissimos eos Præsules non modò tam rudes aut ignaros rerum omnium, aut tam turpiter imperitos non fuisse, sed etiam hanc orationem de industriâ à S. Augustino mutuatos esse, ut eodem consilio illam adhiberent, significarentque eam sancti Spiritûs auctoritatem, quæ ubi innotuerit, jam non liceat humanam audire rationem, aut Novatoribus damnatis concedere, ut causa de integro cognoscatur? Igitur illi Præsules viderunt se dum

causam finitam esse dixerunt, dicere eam esse judicatam eâ auctoritate quæ & *minimè obnoxia sit errori*, & *nunquam revocari* possit, siquidem *prorsus idem* atque unum est. Hoc est prælertim illud, quo cœtus ducitur; ut omnem causæ retractationem repudiet. Si nihil aliud ageretur, præter *factum* quoddam *particulare*, in quo dijudicando falli posset Ecclesia, deberet illa prompta esse ac parata ad causam iterùm cognoscendam, atque ad prius judicium revocandum, *quando error ipsi oblatus, ad notitiam Ecclesiæ venerit*, ut S. Thomas pronuntiat. Hanc causæ retractationem, quam æquitas offerri postulat, ubi obrepere potuit aliquis error, non modò cœtus ultrò non offert, sed etiam petitionem tam contumeliosam repudiat, atque universæ Ecclesiæ nomine contrà reponit, *causam esse finitam*, hoc est Ecclesiam absque erroris periculo judicavisse.

4. Frequens cœtus declarat *Episcopos Gallicanos rebus judicatis adhærere*, & iis quidem ipse absolutè & absque ullâ exceptione adhæret. Quare non modò ratas habet Sedis Apostolicæ Constitutiones & Brevia, sed etiam cœtuum priorum deliberationes & judicia solemni ritu prolata. Atqui debet inter illas *res ju-*

dicatas numerari, non solum acceptio Constitutionis Innocentii X. quâ mox vidimus infallibilitatem Ecclesiæ manifestè tradi, sed illud etiam quod anno 1656. gestum est. Quippe cœtus anni 1656. scripsit ad summum Pontificem, Janseniani textûs hæreticitatem non esse, ut homines è sectâ persuadere conantur, *facti quæstionem, in quâ Ecclesia falli possit*, verùm ad *juris quæstionem* pertinere. Cœtus idem in suâ expositione sic aiebat. *Vis decisionis pertinet ad quæstionem juris, hoc est, ad damnandas eas opiniones quas hic scriptor docet libro suo, cui titulus* Augustinus .... *nam quæstionem quidem facti .... homines illi non satis accuratè ponunt, atque ad eam tamen volunt controversiam omnem deducere, ut nimirum Constitutionem inutilem reddant eo nomine, quod Ecclesia in facti quæstionibus dijudicandis errare possit.* Addit eadem expositio, si quis factum vocare velit quæstionem ejusmodi, quæ pertinet ad traditionis seriem, eam certè *ab Ecclesiâ declarari eâdem illâ infallibili, quâ de fide judicat, auctoritate.* Non potuit profectò ea de quâ jam agitur infallibilitas, distinctiùs manifestiusque designari ac decerni. Hæ sunt *res judicatæ*, quibus *Episcopos Gallicanos adhærere* cœ-

tus frequens anni 1700. pronuntiat. Vidimus & anni 1660. cœtum præcepisse, ut qui jurare recularent in fidem certam hæreticitatis Janseniani textûs, *haberentur hæretici*. Vidimus Illust. sancti Pontii Episcopum id fateri, judicium hoc *favere consilio Illust. Domini de Marca* ad asserendam infallibilitatem in textibus dijudicandis, & *deffensorem obsequiosi silentii* hoc agnoscere, *fieri non posse, ut in his* verbis *non cernatur ridicula Illust. Domini de Marca pertinacia* in eodem illo dogmate deffendendo. Hæ sunt, dicendum est enim rursùs, *judicata res*, quibus *Episcopi Gallicani adhæserunt*, quemadmodum cœtus anni 1700. declaravit. Homines è sectâ perpetuò clamant, nos in tuendâ ridiculâ quâdam & novâ sententiâ solos esse, & ab omnibus aliis Episcopis diffidentes; at auderentne iidem homines è sectâ dicere, Emin. Cardinalem Noallium, Illust. Arch. Rhemensem, Illust. Bossuetium Episcopum quondam Meldensem, & reliquos illius cœtûs Præsules non modò S. Augustini sermonem in Ecclesiâ tritum & pervulgatum sic adhibuisse, ut eum non intelligerent, sed etiam *judicatis rebus adhæsisse*, hoc est

iis,

ſis; quæ à ſuis deceſſoribus erant decreta; neque tamen ipſos aut per ſe percepiſſe, aut ab aliis diſcere voluiſſe, quid iis decretis ac judiciis contineatur? Audebuntne homines è ſectâ illud dicere, inter tot graviſſimos Præſules fuiſſe nullum, qui vel res in accipiendâ Conſtitutione Innocentii X. geſtas, vel præcipua cœtuum anni 1656. & anni 1660. monumenta cognoſceret? Neque verò noſtram nos hoc loco, ſed horum Præſulum cauſam ſpectante univerſo orbe deffendimus. Dici niſi protervè atque impudenter non poteſt, eos dum locuti ſunt, ne intellexiſſe quidem quæ dicerent, aut quæ vis eſſet nativuſque ſenſus illius ſermonis, qui in Eccleſiâ Catholicâ vulgaris & quaſi popularis factus eſt. Dici ſine ſummâ injuſtitiâ, temeritate, atque in ipſos Præſules contumeliâ non poteſt, eos *rebus* à deceſſoribus ſuis ſuâ propemodum ætate ac memoriâ *judicatis adhæſiſſe*, neque intellexiſſe quænam eſſent illæ res, quibus adhærere ſe profiterentur. Igitur ex ſolemnibus inſtrumentis cœtûs anni 1700. planum efficitur; Præſules eos omnes ad illam doctrinam ſe adjunxiſſe, à quâ ipſos longè abeſſe homines è ſectâ ſignificant. Id verò nunquam fas eſt, tot graviſſimo-

rum Præsulum auctoritatem eludere hác exceptione, eos non intellexisse illa, quæ alieno arbitratu locuti sunt. Enim verò in Ecclesiâ ruunt omnia & concidunt, si fas est à proprio ac nativo solemnium instrumentorum sensu discedere. Quid igitur reponent homines è sectâ ad declarationem illam cœtûs anni 1700. quâ declaratione non modò nulla ipsis vera responsio, sed ne probabile quidem effugium relinquitur? Etiamne dicent Præsules illos spectatissimos ea nesciisse quæ in vulgus pervulgata sunt & ignota nemini? Aut illudne deffendent, hos Præsules cum ante annos octo tanto studio, tantâ animorum consensione *judicatis rebus adhæserint*, & cum suis decessoribus in infallibilitate Ecclesiæ propugnandâ conspiraverint, jam id agere, ut fidem datam revocent, & tot Cleri Gallicani cœtus improbent, ac refellant? Id verò etiamsi homines è sectâ, ut est os hominum, dicere sustinerent, nemini fas esset iis habere fidem; Imò nemo non deberet tam protervam eorum temeritatem odio atque indignatione prosequi. Horum Præsulum instrumenta solemnia satis apertè & ad ipsos tuendos, & ad homines è sectâ refellendos semper valebunt. Illi *can-*

ſam finitam eſſe decreverunt, hoc eſt fatentibus hominibus è ſectâ, dijudicatam eâ *auctoritate, quæ & minimè obnoxia ſit errori, & nunquam ſit revocanda.* Denunciaverunt ſe *judicatis* per deceſſores ſuos *rebus adhærere*, atque adeò ſolemnibus iis inſtrumentis, quibus ſtatuitur, hæreticitatem Janſeniani textûs *ab Eccleſiâ declarari eâdem illâ infallibili, quæ eſt de fide judicantis, auctoritate.*

XXI.

De Epiſcoporum numero, qui ex his univerſis cœtibus colligitur.

COlligamus jam hanc nubem teſtium.

1. Occurrunt primùm anno 1650. Epiſcopi quinque ſuprà octoginta, qui pronuntiaverunt futurum judicium ab erroris periculo fore immune, quia *fides Petri nunquam deficit*, atque *ad Chriſti vocem & imperium venti & mare obediunt.*

2. Anno 1653. Epiſcopi triginta pronuntiant judicium latum adversùs textum Janſenii obtinere vim atque aucto-

ritatem eamdem, quam judicium olim prolatum adversùs Pelagianos; eò judicio contineri *divinam æquè ac summam per universam Ecclesiam auctoritatem; cui Christiani omnes ex officio ipsius quòque mentis obsequium præstare* teneantur, quæque non proficiscatur tantùm ex *Christi Domini nostri pollicitatione Petro factâ*, sed etiam ex traditione; denique Ecclesiam *divini numinis instinctu* de eo textu decrevisse.

3. Anno 1654. Episcopi 40. aiunt eos, qui Janseniani textûs longioris hæreticitatem in dubium revocare nituntur, dum textum breviorem quinque propositionum hæreticum agnoscunt, *è vetere fidei deposito partem adimere tentare*, atque id judicium quod declaratum est esse immune ab erroris periculo, æquè ad textum utrumque, alterum breviorem, longiorem alterum pertinere.

4. Anno 1655. Episcopi septemdecim confirmarunt ea quæ in cœtu anni 1654. dicta fuerant de illo decreto, quod ad Jansenii librum pertinet.

5. Anno 1656. Episcopi 40. declarant, hoc loco agi non *facti quæstionem, in quâ Ecclesia falli possit*, sed *quæstionem juris*. Addunt, illud quod factum nun-

cupatur, *declarari ab Ecclesiâ eâdem illâ infallibili, quæ est de fide judicantis, auctoritate.*

6. Anno 1660. & 1661. Episcopi 45. decernunt judicium hoc latum esse eâ auctoritate infallibili, quæ divinis promissionibus significetur, siquidem *haberi* debet *hæreticus*, quisquis auctoritatem ejusmodi vocat in dubium, atque illi parere obstinatè recusat.

7. Anno 1675. Episcopi 30. expositionem iterùm adoptant & faciunt suam, quâ expositione auctoritas infallibilis statuitur quasi fundamentum vel præcipuum, eorum omnium quæ ab Ecclesiâ in hoc toto negotio acta fuerant.

8. Anno 1700. Episcopi sexdecim *judicatis rebus adhærent*, hoc est omnibus iis quæ in prioribus cœtibus erant decreta.

Sunt igitur omninò trecenti Episcopi & ampliùs, qui ætate nostrâ in Galliâ suo suffragio perscripto comprobarunt eas declarationes, quibus auctoritas infallibilis manifestè ac definitè traditur.

Neque verò sum nescius plures Episcopos, qui uni cœtui interfuerant, alteri rursùs interfuisse, sed in his quoque plurimi occurrent ex secundo ordine delegati, qui ad Episcopalem dignitatem

paulò post evecti sunt. Quare omnibus utrinque exæquatis, comperientur Episcopi suprà trecentos, qui eam quam nos deffendimus doctrinam palam & apertè scripto probaverint. Atque inter Archiepiscopos & Episcopos sunt multi Cardinales, nimirum Estræus, Bonzius, Jansonius, Noallius. Imò & inter eos numerantur plurimi ex Episcopis illis undeviginti, qui nomen suum apposuerant huic Epistolæ, quam unus ex sectæ ducibus ad quatuor Episcopos deffendendos adornaverat.

Frustrà jactabunt homines è sectâ, Episcopos *rem hanc totam priùs veram esse statuisse, quam eam cognovissent ut fieri solet in cœtibus* &c. Hoc verò convicium est plenum offensionis & scandali, non ea responsio quam audire seriò debeamus. Id si valeret, fas esset Ecclesiastica omnia monumenta eludere, fas esset dicere Episcopos non satis illud intellexisse, quod auctoritate suâ perscriptâ comprobarent, aliud ascripto suo nomine firmasse, aliud sensisse. Labefactatur ipsorum Conciliorum fides & auctoritas omnis, si tam invidiosæ verborum immoderationi locus ullus relinquitur, neque illud sanctè ac religiosè tenetur, quod significatur solemnibus

Justif. p. 1274.

iis instrumentis, quæ Episcopi nomine suo apposito probaverunt, sensu proprio ac nativo sumptis, omissis seditiosis ac maledicis Novatorum damnatorum sermonibus.

X X I I.

De Constitutione summi Pontificis Clementis XI.

DEbetne igitur cuiquam mirum videri, quod Christi Vicarius, cum apprimè noverit, quanto plausu sui decessores exceperint ac probaverint quæcumque à Clero Gallicano dicta sunt de auctoritate eâ infallibili, quâ Janseniani textûs causa finita est, eadem ipse secutus tam graviter decreverit? Affirmat suâ Constitutione, *veram orthodoxi hominis obedientiam* id postulare, ut credat atque *interiùs judicet Jansenii libro doctrinam hæreticam contineri*, hac prorsùs ratione *audiendam* esse *Ecclesiam*, hoc est, eum non esse *orthodoxum hominem*, sed *habendum esse hæreticum*, ut aiebat Cœtus anni 1660. qui obstinatè recusaret *Ecclesiam* in hac causa audire, & firmo certoque & nunquam revocando judicio hanc hæreticitatem credere. Christi Vicarius affirmat

causam esse finitam, quæ verba fatente
p. 875. *silentii obsequiosi deffensore* manifestè significant juxta sancti Augustini sermonem in universâ Ecclesiâ solemnem & pervulgatum, causam eam quam auctoritas errori non obnoxia diremerit & composuerit. Denique Christi Vicarius scripto ad Emin. Cardinalem Noallium Brevi denuntiavit quæstionem de libri hæreticitate finitam esse *Beati Petri Principis Apostolorum auctoritate, Christi ore firmatâ, qua etiam in indigno hærede non deficit.* Adjunxit idem sapientissimus Pontifex, debere *silere humanam præsumptionem*, ut nimirum *intellectus in captivitatem redigatur in obsequium Christi.* Caput igitur hoc loco firmat ea quæ jam erant à Membris proposita. Auctoritas illa ex Christi pollicitatione nunquam deficiens, in his omnibus tam gravibus verbis elucet, ac veluti in oculos incurrit. Sedes Apostolica repetit doctrinam à Concilio Chalcedonensi, à quinto, à sexto, à septimo Concilio, atque à S. Martini Papæ synodo traditam. Confirmat eam doctrinam quam ætate nostrâ trecenti & amplius Galliarum Episcopi professi sunt. Quid est verò, quod ad tot tantasque auctoritates obsequiosi silentii deffensor opponit? Ad Constitutionem Clementis

XI. ait, summum Pontificem opinione præjudicatâ laborare, *occupatum esse Jesuitarum artibus, inductum in errorem.* Pag. 859. 861. 870. 875. 877.
Verùm nihil habet denique, quod excipiat vel adversùs definita atque aperta verba deliberationum Episcopalium & Constitutionis Pontificiæ, vel adversùs mandata, quæ proprio ac nativo sensu accepta non possunt non significare auctoritatem eam, quæ immunis sit ab erroris periculo. 886. 908. 909. 910. 928. 933. 947. 1272. Jam recitavimus quidem scriptoris hujus sententiam de his Constitutionis vocibus, *causa finita est*, sed facere non possumus, ut non iterùm hoc loco recitemus. p. 875. *Illud*, inquit, *negari non potest, juxta loquendi rationem a sancto Augustino usurpari solitam, prorsùs idem esse, si dicatur causam esse finitam, quam si dicatur Ecclesiam tulisse judicium & minimè obnoxium errori, & nunquam revocandum.* Sed quamquam ea confessio satis ostendit Christi Vicarium dum sermonem hunc adhibuit in Ecclesiâ solemnem & pervulgatum ad significandum *judicium* illud, quod *minimè obnoxium sit errori*, judicium ejusmodi manifestè designasse, tamen hoc totum scriptor ille percommodè quidem & perbreviter expedit. Nimirum judicia omnia adversùs sectam prolata sem-

p. 1028. per subreptitia esse censentur. *Ecclesiæ ministris*, inquit, *per summam indignitatem error oblatus est*.
p. 1179. *Tot decreta .... adversus nos afferri non possunt ? In Bullis*
p. 859. *id semper actum est sedulò, ut miscerentur & confunderentur hæ quæstiones, quas summus Pontifex Clemens XI. non magis explicuit quam sui decessores..... Verba Constitutionis acerbissima, & quæ minimè*
p. 908. *omnium possint excusari. Incerta atque invidiosæ criminationes, quibus facilè patet errorem summo Pontifici oblatum esse ab hominibus odio atque invidiâ furentibus*
p. 696. &c. Præterea de anni 1660 cœtu scriptor ille sic loquitur. *Illis Episcopis, qui huic cætui interfuerunt, imprimitur probrum ac dedecus, & quidem sine ullo emolumento, si tribuitur iis sensus ille, quem verba ab ipsis adhibita exhibent ac præ se ferunt .... atque illud pariter dixerim de expositione scriptâ ab Illust. Domino de Marcâ, quâ expositione error idem*
p. 748. *planiùs distinctiùsque continetur.* Cœtus ille *miscet & turbat omnia .... facit ut ipsi jure tribui possit hic error, ubi solùm attenditur, quid ipsius verba per se signi*
p. 1260. *ficent ... quod unum satis est, ut ejusmodi monumentis, quæ tam importunè simplicium auribus ingeruntur, adimatur omnis auctoritas .... deliberationes istæ*

omnes cum nullo alio fundamento nitantur, quam immani Jesuitarum audaciâ, quidquid in his actum est. Jesuitis potius auctoribus quam Clero tribui oportet......
Alterum sanè ex his duobus eligi patiemur, aut hanc deliberationem niti nefariâ quâdam calumniâ, aut ponere hæresim .. Ridiculam Illust Domini de Marca pertinaciam in illo suo dogmate deffendendo, jus a facto sejungi non posse. HÆRESIS EST MANIFESTA, *primis fidei fundamentis apertè repugnans, vel* VOLUNTAS EST ADEÒ IMMANIS AC BARBARA, *ut illa Episcopis tribui sine summo ipsorum dedecore non possit.* ATQUI NECESSE OMNINÒ EST, UT HORUM ALTERUTRUM FATEATUR, QUI VOLUERIT COETÛS ILLIUS VERBA PROPRIO ATQUE ACCURATO SENSU ACCIPERE. p. 1261. p. 1008. 749.

Duo sunt quæ in his omnibus scriptoris hujus dictis æquè cernuntur. Alterum est ipsum apertè ac distinctè confiteri Constitutionis Pontificiæ & deliberationum Episcopalium verba prorsùs facere pro eâ sententiâ quam ipse nunc *hæresim manifestam* appellat, nunc *ridiculam Illust. D. de Marca pertinaciam*, nunc *voluntatem immanem ac barbaram.* Fatetur Cleri decreta ab illâ hæresi vindicari aliâ ratione non posse, quam si il-

lorum verba contra proprium atque accuratum ſenſum accipiantur. Ergo ſi eadem religiosè proprio atque accurato ſenſu accipiantur, omninò pro nobis faciunt. Poteſtne verò excogitari ulla confeſſio, quæ plus valeat ad ſectam opprimendam? Fatetur igitur ille ſcriptor Sedem Apoſtolicam & Epiſcopos ampliùs quadringentos illud decreviſſe, quo, ſi proprio atque accurato ſenſu ſumatur, manifeſtè traditur ea quam nos deffendimus infallibilitas. Porrò 400. Epiſcopos & ampliùs idcircò numeramus, quia ad Præſules trecentos, qui ea quę ſuprà memoravimus, Cleri monumenta obſignaverunt, adjungendi ſunt Epiſcopi triginta & amplius ſupra centum, qui dum poſtremam Conſtitutionem ratam habuere, ſimul cum ſummo Pontifice *cauſam finitam eſſe* pronunciaverunt.

Alterum pariter hoc loco cernitur, quanta ſit impotentia ſcriptoris hujus, qui oblitus quid deceat, temerè in omnes Eccleſiæ Principes debacchatur eoſque vexat omnibus contumeliis. Nihil verò facilius eſt, quam ſanctæ Sedis & tot Epiſcopalium cœtuum auctoritatem ubi eludere non poſſis, elevare ac contemnere. At quæ tandem deciſio tuta erit à Novatorum contumeliâ, ſi dicere

liceat decisiones factas esse per *errorem oblatum*, iis *imprimi probrum ac dedecus & quidem sine ullo emolumento*, si religiosè proprio atque accurato sensu accipiantur, iis consuli non posse, nisi miserè contorqueantur? Id si valet, Socinianus aliquis in Ecclesiæ sinu delitescens dicet ipse sibi tacitus, synodo Nicænæ *imprimi probrum ac dedecus & quidem sine ullo emolumento*, si ejus symbolum obvio sensu accuratè sumatur. Pariter unusquispiam ex Protestantibus, qui se per fraudem immiscuerit Catholicorum gregi, dicet *imprimi* Concilio Tridentino *probrum ac dedecus, & quidem sine ullo emolumento*, si canones ab ipso conditi proprio ac nativo sensu religiosè sumantur. Uterque nimirum jactabit Ecclesiæ decernenti *errorem oblatum* fuisse, ejus decretum sensu proprio atque obvio sumptum fore *hæresim manifestam*, fore *voluntatem immanem ac barbaram*, quæ Episcoporum animis verè insedisse non potuerit. Eâ ratione quæcumque decreta sunt, sic illi accipere se profiterentur, ut tamen crederent nihil, quam rationem tenent homines è sectâ.

Ea scilicet manifestè conficiuntur ex *deffensoris obsequiosi silentii* confessione. Verùm quinam sunt illi tandem, qui

ſanctæ Sedis & Epiſcoporum amplius 400. decretum, quod nativo ſenſu religiosè acceptum contrà ſe apertè facere confitentur, tam invidiosâ contorſione ad ſuum arbitrium emendare non verentur? Hi ſunt, dicendum eſt enim ſæpiùs, ſeptem vel octo nullius nominis ſcriptores, qui in Hollandiam eâ mente confugerunt, ut adversùs ſanctam Sedem atque Epiſcopos libellos cum ſummâ offenſione ſcriberent maledictis refertos.

Convertamus iterùm oculos ad eos Præſules, quibus jam Clerus Gallicanus conſtat, quique Conſtitutionem Clementis XI. quâ decernitur non minùs Janſeniani textûs longioris, quam brevioris quinque propoſitionum textûs *cauſam eſſe finitam*, omnes ſine ullâ exceptione aut reſtrictione ratam habuerunt. Nullus vivit inter eos, qui infallibilitatem improbaverit pertinentem ad eos textus ex quibus traditio coaleſcit, & quos Eccleſia dijudicat ad depoſiti ſecuritatem. Atqui hoc ipſum eſt quod nos poſtulamus. Imò Illuſt. ſancti Pontii Epiſcopus id nobis ultrò largitur, atque ad illud confugit, ut dicat Janſenii textum non pertinere ad traditionem, quaſi verò textus longior qui damnatur

quinque Constitutionibus, non tam pertineret ad traditionem, quam textus breviores, qui Conciliorum canonibus damnantur. Sed omissis inanibus illis argutiis, hoc certè constat omnes Episcopos post summum Pontificem dixisse, *causâ* de hæreticitate textûs Janseniani *finita est.* Hoc illi nescire non potuerunt, quod in Ecclesiam universam pervulgatum est, nimirum *illud negari non posse*, ut adversarius noster fatetur, *juxta loquendi rationem à S. Augustino usurpari solitam*, atque adoptatam ab Ecclesiâ, *prorsùs idem esse, si dicatur causam esse finitam, quam si dicatur Ecclesiam tulisse judicium & minimè obnoxium errori & nunquam revocandum.*

Igitur fateri adversarius noster debet necesse esse, ut Episcopi omnes dum *causam finitam* esse pronuntiaverunt, vel proprium ac vulgarem verborum suorum sensum non intellexerint, vel certè statuerint Ecclesiam cum *finitam causam* esse decrevit, adversùs Jansenii textum absque erroris periculo decrevisse. Jamverò quantæ est aut temeritatis aut contumeliæ, sic eos existimare rerum omnium ignaros, ut ne sermonem quidem à se adhibitum & eum vulgarem intellexerint. Frustrà noster

ille adverfarius mentem eorum ac voluntatem abfque certo argumento commemorat. Nos verò iis omiffis, quę nullo auctore temerè jactantur, quæque fi locum haberent, faci è convellerentur omnia Catholicæ Ecclefiæ monumenta; in eo perftabimus, ut bonâ fide profequamur fenfum nativum, fenfum proprium ac manifeftum folemnium eorum inftrumentorum, quæ Præfules illi omnes auctoritate fuâ firmaverunt. Hoc unum vel in Conciliis fequi decet. Itaque Epifcopi admodùm centum & triginta dum poftremam Conftitutiònem ratam habuere, pronuntiaverunt *caufam finitam* effe, quod tantumdem valet ac fi pronuntiaviffent eam abfque erroris periculo dijudicatam fuiffe. Neque verò id agitur, an omnes illi Præfules infallibilitatis vocem adhibuerint, aut quæ fuerit fingulorum propria mens ac fententia. Satis eft, quod folemnibus fuis inftrumentis eum fermonem ufurpent, qui vim prorsùs eamdem obtinet. Sanctus Athanafius hoc deffendebat, Epifcopos omnes, qui fic abftinuiffent à voce *confubftantialis*, ut voces alias ejufdem roboris ac fignificationis admififfent, non minùs propterea cenfendos effe deffenfores Divinitatis Chrifti, quam eos qui *confub-*

De fyn. Arim. & feleuc. Epift

consubstantialis vocem usurpassent. Nos pariter dicimus eos omnes, qui dixêre, *causa finita* est, prorsùs idem dixisse ac si usurpassent infallibilitatis vocem, censendosque esse deffensores ejus veritatis, quæ duabus his locutionibus æquè pariterque significatur. Quare ut nihil dicamus de iis Episcopis, qui ipsam infallibilitatis vocem adhibuêre, vel de iis qui non modò hac voce sunt usi, sed præterea rem ipsam quæ hac voce declaratur gravissimis argumentis demonstrarunt, numeramus admodùm centum & triginta Episcopos, qui dum Constitutionem ratam habuerunt, dixisse censendi sunt illud idem quod & nos dicimus. Hi si ad alios trecentos Episcopos adjungantur, numerus fiet Episcoporum quadringentorum & ampliùs, quorum instrumenta solemnia si proprio ac nativo sensu sumantur, tota esse à nobis, adversarius ille noster confitetur.

XXIII.

De traditione summatim accepta.

1. QUæ argumenta *silentii obsequiosi deffensor* à traditione repetere ni-

titur, ea facere contra nos non possent, ut non pariter in ipsum reciderent. Quisquis attenderit ad ea, quæ nobis fateri scriptor ille cogitur, & quibus continetur omnis hæc controversia, is profectò facilè perspiciet quantùm illâ suâ commentitiâ traditione secum ipse pugnet. Hominem conveniamus, ab ipso quæramus, quid sit illud tandem, quod efficere contendit. Idne traditione suâ efficere cogitat, Ecclesiam esse obnoxiam errori in symbolorum suorum canonumque textibus? Num igitur illa sua dicta
p. 148. revocabit? *Neque verò agitur de textibus Ecclesiæ propriis, verbi gratiâ de ejus symbolis ac canonibus, in quibus contexendis errare non potest circa significatum ver-*
p. 137. *borum..... Nulla facti controversia de symbolis & canonibus.* Non valet itaque ejus traditio ad labefactandam infallibilitatem in iis textibus, ad quos tanquam ad normam nostra fides exigitur. Quò igitur illa traditio pertinebit? An fortè & altera illa verba revocare decrevit?
p. 1168. *Deus absque ullâ novâ revelatione, absque ullo novo miraculo, quod quidem sub sensum cadat, sic temperat eam quam dat Ecclesiæ cognitionem ac scientiam ..... atque ita rerum futurarum seriem aptè disponit, ut ex generalibus Ecclesiæ decretis*

nihil unquam oriatur quo lædi fides aut mores violari possint. Scriptor ille omnia *generalia decreta* ad symbola & canones adjungit. Agnoscit ea *generalia decreta* canonum vim & auctoritatem obtinere, atque adeò Ecclesiam in iis pariter esse extra periculum erroris, Deo nimirum prout opus est, *temperante eam quam tum ipsi dat cognitionem ac scientiam.* Fieri prorsùs non potest, ut hic scriptor velit suâ illâ traditione convelli fundamentum illud quod vel ipse modò posuit. Quid igitur ? Vultne Ecclesiam esse quidem immunem ab erroris periculo in textibus brevioribus, quos vel canonibus vel *decretis* aliis *generalibus* dijudicat, sed esse tamen obnoxiam errori in *decretis* iis *generalibus*, quibus de longioribus textibus decernit ? Num igitur ea verba revocabit ? *Libenter hoc ipsi datur, idem propemodum de textu longiore dici posse, quod de breviore dicitur.* Et verò quid esset ineptius, quam Spiritûs sancti munus Ecclesiæ collatum certo paginarum ac linearum numero definire, ita ut illam Spiritus sanctus intra hos fines absque ullo erroris periculo regat, eamdemque continuò deserat, ubi ultra lineam aliquam litterarum processerit ? Deniquè vultne ille scriptor p. 970.

negare jam illud idem quod affirmavit
p. 107. his verbis? *Spiritus sanctus, qui in Ecclesiâ consistit & commoratur, eam regit absque ullo erroris periculo in iis quæ ad*
p. 109. *disciplinam pertinent.... Ecclesia prorsùs est immunis ab erroris periculo in decernendis ejusmodi rebus, quæ ad externam administrationem & rectum ordinem pertinent.* An verò secum ipse jam pugnare
p. 115. vult, cum dudum fassus fuerit, *usum delectumque verborum ad disciplinam pertinere*? Itaque fatente illo scriptore, *verborum usus delectusque*, in quo nimirum sunt omnia, cum de textibus dijudicandis agitur, *ad disciplinam pertinet:* atqui eodem pariter confitente, *Ecclesia prorsùs est immunis ab erroris periculo in decernendis ejusmodi rebus, quæ ad externam administrationem & rectum ordinem*, quę *ad disciplinam pertinent.* Igitur, quod scriptor ille non fateri jam non potest, etiamsi decretum de textibus longioribus non esset tam dogmaticum quam decretum de brevioribus, etiamsi necesse esset illud reponere inter ea quæ ad rectam administrationem & rectum ordinem pertinent, tamen *Ecclesia prorsùs* dicenda esset *immunis ab erroris periculo in decernendis ejusmodi rebus.* Atqui hoc unum est quod

nos postulamus. Hoc unum totidem verbis scriptor ille nobis largitus est. Vultne jam illud resumere ac revocare ? Vultne suâ illâ traditione id effici, ipsum nobis immeritò concessisse ea quæ concessit ? Jam verò si non revocare vult omnia illa tam decretoria quæ confessus est, quid restat nisi ut ad suam ipse traditionem respondeat ? Nimirùm par est, ut nos abstinere patiatur labore illius sigillatim expendendæ, fateaturque eam valere non posse ad convellenda ea fundamenta, quæ ipso concedente posuimus. Vel eâ traditione nihil omninò probatur quod ad rem faciat, neque adeò ea digna est, ad quam respondeatur, vel si quid ea verè adversùs nos facit, facit pariter adversùs ea quæ scriptor ille nobis ultrò largitus est tam decretoria ac peremptoria, atque adeò necesse est, ut se ipse refellat, si manere vult ea quæ nobis concessit de fundamentis iis quibus fides nostra nititur. Itaque possumus pro nostro jure postulare. 1. Ut scriptor ille fateatur eam quam suâ traditione demonstrare contendit Ecclesiæ fallibilitatem, minimè pertinere ad *textus symbolorum & canonum, in quibus contexendis errare non potest circà significatum verborum.* 2. Ut agnoscat pariter eam quam

suâ traditione probare vult fallibilitatem Ecclesiæ, ne ad *generalia* quidem Ecclesiæ *decreta* spectare, quia & Deus sic temperat *eam quam dat ipsi cognitionem ac scientiam, ut ex generalibus Ecclesiæ decretis nihil unquam oriatur quo lædi fides possit*, & *idem propemodum de textu longiore* quem illa suis *decretis generalibus* damnat, *dici potest, quod dicitur de textu breviore*, qui canone damnatur. 3. Ut fateatur prætereà suam illam Ecclesiæ fallibilitatem nunquam pertinere ad *usum* vel ad *delectum verborum*; cum usus ille delectusque spectet, fatentibus hominibus è sectâ, saltem ad disciplinam, in quâ *Ecclesia prorsùs est immunis ab erroris periculo*, undè consequens est, Ecclesiam fore *prorsùs immunem ab omni periculo erroris* in textibus longioribus dijudicandis, etiamsi judicium hoc esset solius disciplinę 4. Denique ut fateatur, cum *Ecclesia sit prorsùs immunis ab erroris periculo in decernendis ejusmodi rebus*, manifestè consequi fieri nullâ ratione posse, ut illa unquam jusjurandum quo affirmetur fides certa *meri facti*, & quidem *momenti nullius*, exigat, eo solo argumento, quod non foret planè certum & minimè obnoxium errori. Ubi semel agnoverit suam illam traditionem valere

non posse ad convellendum quidquam ex his quatuor, quæ & fundamenti locum obtinent, & ab ipso manifestè posita & concessa sunt, nihil erit nobis, de quo cum illo contendamus, patiemurque non inviti, ut suam illam traditionem jactet citra illos fines, intra quos quamdiu se continebit, contra nos nihil afferet. Atque hinc videre est, quantum ille scriptor eruditionis cujusdam & confidentiæ ostentatione imposuerit Lectoribus è suâ sectâ credulis & studio partium occupatis.

2. Nullo prorsùs jure ac merito scriptor ille gloriatur à se esse S. Thomam, & scholas omnes quæ ab annis quingentis floruerunt. Ponit id quod & nullo verisimili argumento probat, & quod inficiari nullus labor est, nimirum controversias de privatorum auctorum textibus nihil esse præter *mera critica* controversias, & *facta momenti nullius* ad juris controversiam. Id ubi commentus est, ita disputat. Ecclesia est, S. Thomâ confitente, obnoxia errori in *factis particularibus*, quæ ad fidem minimè spectant. Atqui facta in textibus, quemadmodum & in personis posita, *facta* sunt *particularia*, quæ ad fidem minimè spectant. Igitur S. Thomâ confitente Ec-

clesia in ejusmodi factis obnoxia est errori. Ea ratio quam parum habeat firmitatis, ostendemus facilè, ubi ab hoc auctore quæsierimus quid intelligat dum facta memorat ad fidem minime pertinentia. Si facta quævis intelligit posita in textibus iis, qui sejuncti sint à dogmatibus revelatis, pugnat ipse manifeste secum; neque enim textus symbolorum, canonum, & decretorum generalium dogmata sunt revelata. Facta sunt certi cujusdam ac definiti temporis omni revelatione posterioris. Adeone S. Thomam nobis apponere decrevit, ut velit sanctum Doctorem & ea negare, quæ vel homines è sectâ ultrò confitentur, & dicere Ecclesiam esse obnoxiam errori, ita ut fallere nos possit iis ipsis textibus, quibus fidem nostram informat? Quidquid ille scriptor afferet ad S. Thomam sic explicandum, ut symbolorum, canonum ac decretorum generalium textibus suus honor constet, id nos pariter totidem verbis repetemus de quinque Constitutionibus iis, quibus Jansenii textus damnatur. Nonne scriptor ille fateri debet magnum quoddam esse discrimen inter ea fidei dogmata, quæ nominatim revelata sunt, & quæstiones eas quæ *pertinent ad fidem*, quia faciunt

ad depositi conservationem? Tam illius scriptoris interest quam nostra, distinctionem hanc defendere, tanquam consentaneam menti sancti Doctoris, quippe qui non velit infallibilitatem Ecclesiæ solis dogmatibus revelatis contineri, sed locum etiam habere in quæstionibus omnibus iis, quæ *pertinent ad fidem*, hoc est quæ faciunt ad fidem puram, illibatamque servandam. Id nimirum sequitur ille ipse scriptor, dum infallibilitatem pertinere facit ad omnes symbolorum, canonumque & decretorum generalium textus, ad statuendum an Concilia sint œcumenica, an eorum textus existant, an authentica sint exemplaria atque ipsę versiones sacrarum litterarum, denique ad ea decernenda quæ meræ sunt disciplinę. Non potest diffiteri sic esse S. Thomæ sententiam explicandam, ut illa omnia facta in textibus posita *ad fidem pertinere* censeantur. Itaque vel hoc scriptore confitente, cum S. Thomas vult Ecclesiam esse infallibilem in iis quæ *ad fidem pertinent*, illa infallibilitas spectat non tantùm ad dogmata fidei, sed etiam ad eas controversias, quę faciunt ad servandum fidei depositum. Id voluit S. Thomas, cum dixit *certum esse quod judicium Ecclesiæ* *Quodl.* 9. *a.* 16.

universalis errare in his quæ ad fidem pertinent impossibile est. Ponit *divina providentia* esse, ut *Ecclesiam suam Spiritu sancto dirigat, ut non erret, sicut ipse promisit Joann. 14. quod Spiritus adveniens doceret omnem veritatem, de necessariis scilicet ad salutem*. Eo posito sanctus Doctor efficit, in sanctis appellandis *judicium Ecclesiæ errare non posse*, quamvis illorum propria sanctitas non sit dogmatibus revelatis annumeranda. Est igitur hac luce clarius, S. Thomam cum infallibilitatem vult locum habere tantùm *in iis quæ ad fidem pertinent*, agere tùm non modò de dogmatibus revelatis, sed etiam de iis omnibus quæ faciunt ad depositi conservationem, vel quæ sunt *ad salutem necessaria*. Ipsa S. Doctoris verba prorsùs huic rationi consentanea sunt. Nam Ecclesiam quidem existimat obnoxiam esse errori in iis *sententiis quæ ad particularia facta pertinent, ut cum agitur de possessionibus & criminibus*, in quibus *possibile est judicium Ecclesiæ errare propter falsos testes*. Certè personalis hæreticitas *crimen* quoddam est, de quo habetur legitima quæstio, & reus deindè condemnatur. In eâ quæstione fieri sanè potest ut *falsi testes* in errorem inducant Ecclesiam, quæ factum illud, de quo

quæritur, suis ipsa oculis non usurpavit. Verùm alia prorsùs est ratio, ubi de textûs cujuspiam hæreticitate quæritur. Ut de eo textu Ecclesia judicet, non necesse est, ut ullos testes audiat; eum quippe textum habet præ manibus, eum ipsa oculis usurpat. Prætereà textûs illius hæreticitas pestilens est, & quemadmodum S. Paulus exclamat, *serpit ut cancer* adversùs fidem. Quin & S. Thomas affirmat *ex verbis inordinatè prolatis hæresim incurri.* Idem contendit, *si sit inordinata locutio circa ea quæ sunt fidei, sequi posse ex hoc corruptionem fidei.* Quare si vel ad rigidissimam normam totum istud exigamus, hoc manebit, illa quæ scilicet facta dicuntur in textibus posita, numerari à sancto Thomâ inter *ea quæ ad fidem pertinent.* Constat igitur textum aliquem hæreticum & pestilentem, qualis est Jansenii textus, *ad fidem pertinere*, & ad *salutem* populorum. Non est igitur hæreticitas ejusmodi *factum* aliquod *particulare*, ex eorum numero, in quibus, ut vult S. Thomas, falli potest Ecclesia *propter falsos testes.* Itaque non magis tenebræ differunt à luce meridianâ, quam interest inter *facta particularia* ac merè personalia, de quibus S. Thomas agit, & hæreticitatem textûs cujuspiam,

1. p. q. 31. art. 2.

2. 2. q. 11. art. 11.

qui pervulgatus est, atque adeò tantoperè pertinet ad conservationem fidei, *salutemque* populorum. Atque indè nimirum factum est, ut scholastici admodum omnes qui S. Thomam ab annis 500. sunt consecuti, velint infallibilitatem Ecclesiæ pertinere prorsùs ad ea omnia quæ spectant *salutem populorum generalem*. Atque hæc traditio universa causam omnem conficit, omissis illis subtiliorum disputationum ambagibus.

3. Nihil profectò magis pertinet ad *disciplinam*, ad *rectam administrationem*, ad *bonum ordinem* in moribus populorum & salute generali procurandâ, quam nunquam imperare jusjurandum, vel vanum de *facto. momenti nullius*, vel temerarium ex eâ auctoritate quæ obnoxia sit errori, vel falsum quo promittatur certa fides, cum nulla tamen habeatur. Eo posito necesse est, si sanctum Thomam & Theologos è scholâ sequimur, ut fateamur esse consequens, Ecclesiam *præditam esse verâ infallibilitate*, cum in verba formulæ jusjurandum exigit adversùs Jansenii textum. Quid enim? Id ne vult hic scriptor, ut suâ illâ S. Thomæ cæterorumque è scholâ Theologorum traditione efficiatur Ecclesiam posse generalem Ministrorum

ſuorum ſalutem impedire, imperato ipſis jurejurando quod & vanum ſit, de facto ſcilicet momenti nullius, & temerarium, nempe de eodem facto, quod fortaſſe falſum eſt?

4. Illa noſtri adverſarii traditio digna non eſt quæ refellatur, quatenùs diſtinguit eos textus, quorum evidentia pervulgata eſt & minimè controverſa, ab iis quorum evidentia vocatur in controverſiam, neque eſt pervulgata. Hac textuum diſtinctione, ſi verum quærimus, totum hujus ſcriptoris opus abſolvitur. Hanc ſi ipſi ademeris, nihil habet ampliùs, vel quo ſuam traditionem fulciat, vel quod opponat ad noſtram. Verùm hæc diſtinctio prorsùs evaneſcit, ubi commemorantur ea quæ ſcriptor idem confeſſus eſt. Enimverò quoties ille diſputat de infallibili Eccleſiæ auctoritate in condendis textibus *ſymbolorum*, *canonum*, *decretorum generalium*, quę vim eamdem obtinent, & in iis quę ad *diſciplinam* pertinent componendis, in eo perpetuus eſt, ut fateatur eam *à Spiritu ſancto abſque ullo erroris periculo regi..... Deum admirabili quâdam providentiâ naturalem ejus prudentiam ita dirigere ac temperare .... ſacrilegum fore, qui vellet rationem audire, eamque anteferre au*- p. 107. p. 109. p. 111.

ctoritati, quam continuum Spiritûs sancti præsidium præstat immunem ab erroris periculo. Itaque nullum hic locum habet pervulgata quædam evidentia, quam sic humana ratio cognoscat, ut de eâ judicet; hic agitur *auctoritas illa, quàm continuum Spiritûs sancti præsidium præstat immunem ab erroris periculo*, quæ rationi quocumque tempore & loco debeat *anteferri*, ita ut *sacrilegus* sit, *qui vellet*
p. 1166. in eâ re *rationem audire.* Addit, Deum *sic temperare eam quam dat Ecclesia cognitionem ac scientiam .... ut ex generalibus Ecclesiæ decretis nihil unquam oriatur quo lædi fides aut mores violari possint.*
p. 1353. Affirmat *ea principia esse minimè dubia,*
p. 736. *& promissionibus ipsis sine controversiâ contineri.* Et illud subjungit *nulla facti controversia de symbolis & canonibus*, quamvis profectò non velit omnes prorsùs symbolorum canonumque textus habere evidentiam illam pervulgatam ac mini-
p. 214. mè controversam. Imo verò ponit *canonum symbolorumque verba plerumque esse clara & definita.* Atqui manifestum est eâ voce, *plerumque*, exceptionem aliquam intelligi. Sic homines *plerumque* esse injustos & suis utilitatibus servire cum dicimus, significamus esse tamen aliquos justos, neque sui nimiùm aman-

tes. Itaque ſcriptor ille *canonum ſymbolorumque verba plerumque eſſe clara & definita* cum affirmat, ſignificat eſſe aliqua tamen, quibus evidentia illa pervulgata deſit. At nihil ominùs affirmat Eccleſiam *Spiritûs ſancti præſidio inmunem ab omni erroris periculo præſtari* in ejuſmodi textibus prorsùs omnibus dijudicandis, ſive illi evidentiam habeant pervulgatam & minimè controverſam, ſive non habeant. Fatetur ille ſcriptor *præcipuum iſtud auxilium quod promiſſum eſt ..... adjunctum ad naturalem* Paſtorum *prudentiam, ſatis eſſe, ut planè, prorsùs atque omninò certi efficiamur* &c. agnoſcit, *illam attentionem, quam tùm Spiritus ſanctus in Eccleſiâ conſervat, ſatis omninò eſſe, ut* &c. Habemus igitur ſcriptorem hunc confitentem, non omnia pendere ab evidentiâ textuum & naturali quâdam infallibilitate, ſiquidem neceſſe eſt prætereâ, ut *præcipuum iſtud auxilium quod promiſſum eſt, adjungatur ad naturalem* Paſtorum *prudentiam*, neceſſe eſt ut *Spiritus ſanctus* in Eccleſiâ *conſervet attentionem* illam, quæ neceſſaria eſt ad textus ritè dijudicandos, etiam eos qui evidentiam non habent manifeſtam. Atqui hoc unum eſt quod nos poſtulamus. Itaque fruſtrà manifeſti

p. 160.

p. 170. & 171.

textus & minimè controversi distinguuntur à textibus controversis & minùs claris, siquidem *præcipuum istud auxilium quod promissum est, adjungitur ad naturalem* Ecclesiæ *prudentiam*, ut eam præstet immunem ab erroris periculo in iis prorsùs omnibus dijudicandis. Igitur illa distinctio, quæ totum illius scriptoris opus una conficit, ruit ipsa funditùs, & quidem manifestâ scriptoris ejusdem adeò gloriosi confessione.

5. Frustrà verò videtur, dum S. Thomam & Bannesium ad suas partes trahere contendit, significare, Ecclesiam esse quidem verâ infallibilitate præditam ad suum ipsius sermonem in suis decretis componendum, nòn verò ad dijudicandum alterius sermonem. Ostendimus ipsos canones nihil esse præter damnationes textuum qui non sunt Ecclesiæ proprii, atque ita nòn proprii Ecclesiæ, ut non alio consilio ab Ecclesiâ suis canonibus inserantur, quam ut eos neget, eos diffiteatur, eos adjecto anathemate repudiet. Ostendimus longiorem Jansenii textum non minùs pertinere ad Constitutiones quibus ille damnatur, quam textus quispiam brevior pertinet ad canonem quo damnatur. Hæc ubi demonstrata sunt, manifestè consequitur omnibus

bus sancti Thomæ, Bannesii &c. locis, quibus probatur infallibilitas in dijudicando textu breviore qui canone damnatur, probari pariter infallibilitatem in textu longiore dijudicando, cum ille vel Constitutione aliquâ vel alio roboris ejusdem decreto condemnatur. Quare manet universa nostra traditio, dum traditio scriptoris illius manifestè diruitur iis decretoriis confessionibus, quas ex ipsius verbis deducimus.

XXIV.

De quibusdam Theologis, qui celebrem Honorii causam attigere.

QUidam Theologi de Honorii Epistolis sic disputarunt, ut Ecclesiam in factis dijudicandis voluerint esse obnoxiam errori. Sed illud omitti non debet, Epistolas Honorii secundum se spectatas, Bellarmino, qui præcipuus unus est ex illis Theologis, hæreticas non videri. In eo tantùm Honorium accusant, quod non satis prudens fuerit, non quia textu nominatim hæretico defenderit hæresim, sed quod illi nimiùm indulserit, *quod privatis*, ut ait Bellarminus,

litteris hæresim foverit. Honorii textus, ut quidem huic eruditissimo Cardinali videtur, poterat & facilè quidem in bonam partem accipi, atque illum textum si Ecclesia spectasset à suo auctore sejunctum, nunquam sanè damnasset tanquam quo Monothelitarum error significetur. Sed ipse nimirùm Honorius arguebatur, quod illum errorem non satis clarè ac distinctè refellerit. Ista est sanè quæstio solius personæ propria, in quâ non dogmaticè de textu per se spectato Ecclesia pronunciat, sed tantùm de propriâ scriptoris agendi ratione, quæ quia sextæ synodo visa est mollior, neque satis ad prudentiæ leges accommodata, visus est pariter scriptor dignus cujus textus reprobaretur. Hæc sunt nimirum *facta particularia*, in quibus dijudicandis Ecclesiam falli posse Bellarminus aliique Theologi post S. Thomam docuere. Atque illi quidem si dixissent Ecclesiam falli posse generatim in dijudicandis factis iis quæ textibus dogmaticis secundum se spectatis continentur, non minùs profectò contra silentii obsequiosi deffensorem, quam contra nos dixissent. Tum enim docuissent Ecclesiam falli posse in factis omninò omnibus non revelatis, qualia sunt quæ versantur in

disciplinâ, in *decretis generalibus* Ecclesiæ, atque etiam in *symbolis & canonibus*. Patet igitur quam frivola sit atque inanis hæc argumentatio, quæ siquid efficit, non minùs efficit adversus eum à quo proficiscitur, quam adversùs illos contrà quos studiosè jactatur.

Quid verò adversarius ille noster opponit ad quartum Concilium, ad quintum, ad sextum, ad septimum, ad synodum S. Martini primi summi Pontificis, atque ad solemnia Cleri Gallicani instrumenta, quæ auctoritate suâ firmarunt Episcopi ampliùs quadringenti cum Apostolica Sede conjuncti? Ille nobis adducit Cardinales de Turrecremata, Baronium, Bellarminum, Pallavicinum; & Patres Sirmondum & Petavium. Sed quare tandem homines è sectâ Theologos illos tam sedulò prædicant atque efferunt in unâ illâ causâ, cum eosdem aliàs sæpè tam facilè contemnant atque elevent? Si fortè pauci illi Theologi erravissent in eâ quæstione, quæ nondum erat illis temporibus satis explicata, si per imprudentiam tot Conciliis generalibus fuissent adversati, dubium non est quin forent tum relinquendi, cum & ipsi sua verba fuissent revocaturi, si semel error ipsis fuisset ostensus. Præte-

reâ nos varia ex graviſſimis illis ſcriptoribus loca deprompta retulimus, quibus manifeſtè illa quam nos defendimus Eccleſiæ cauſa confirmatur. Idne vult obſequioſi ſilentii deffenſor tantos viros ſecum ipſos turpiter pugnaviſſe, neque eſſe conſentanea locutos? Id verò ſi ponitur, jam illi digni non ſunt, quibus habeatur fides, neque eſt cur adeò levibus auctoritatibus refellendis immoremur. Sin verò ſcriptores illi tam graves non ſecum ipſi tam turpiter pugnaverunt, adhibenda eſt ad eos conciliandos & explicandos ea ratio, quam ipſorum eruditio ac ſapientia poſtulat. Jam verò conciliari verè ſecum ipſi non poſſunt, niſi dicantur ſancti Thomæ veſtigiis inhæſiſſe, & credidiſſe quidem Eccleſiam obnoxiam errori in dijudicandis *factis particularibus* ſeu perſonarum propriis, quæ niſi audiendis teſtibus cognoſci non poſſunt, neque niſi indirectè & ex repercuſſu pertinent ad textus ambiguos ab illis perſonis conſcriptos, verùm ſic exiſtimaſſe, Eccleſiam prorsùs falli non poſſe in dijudicandis textibus dogmaticè & ſecundum ſe ſpectatis, nullâ habitâ ratione quæſtionum quæ habitæ ſunt adverſus ſcriptores ipſos, quippe quos textus ipſa Eccleſia per ſe atque immediatè

cognoscit ad depositum fidei tutiùs conservandum,& populorum salutem procurandam. Denique nostram hanc rationem perpetuò tenemus, ut suam illi scriptori traditionem opponamus, eamque non tam nostris quam illius verbis destruamus. Vultne Baronium, Bellarminum & cæteros de quibus disputamus scriptores, docuisse Ecclesiam posse ipsam ita falli, ut nos quoque fallat, in iis quæ ad *disciplinam*, ad *decreta* generalia, atque etiam ad symbolorum canonumque textus pertinent ? Id verò si deffendit, necesse est ut fateatur, si sibi constare vult, hos scriptores valdè periculosè peccasse, non posse peccatum illud ferri, quippe quo fidei ac morum norma labefactetur, denique peccatum illud tam sibi quam nobis displicere atque adversari. Quid igitur faciet illâ argumentatione, quam ipse debet æquè ac nos debemus confutare ? Si contrà vult horum gravium scriptorum verba sic temperare, ut seponat *symbolorum canonumque* textus cum *decretis generalibus* quæ sunt roboris ejusdem, & leges omnes quæ ad morum *disciplinam* pertinent, eâ exceptione quinque Constitutiones cum formulæ jurejurando adversùs Jansenium servat illibatas. Quò igitur per-

tinet ea quæ ab istis scriptoribus depromitur objectio, nisi ut & hominibus è sectâ credulis fucum faciat, & Lectores æqui ac sagaces intelligant, non posse jam homines è sectâ quidquam nobis opponere, quod speciem habeat aliquam veri, nisi secum ipsi pugnent? Etiamsi Baronius & Bellarminus non satis accuratè, non satis consideratè dixissent quidpiam de eâ re, quæ tum temporis non multùm erat agitata, neque explicata, cum prœvidere sanè ipsi non possent fore ut ipsorum verbis homines captiosi & fallaces abuterentur, ideone verba ipsorum omnia rigidè sophistarum more sumenda essent, atque adhibenda ad convellendam, ipsis repugnantibus, auctoritatem Ecclesiæ in textibus, ex quibus traditio coalescit, & ad quos fides nostra tanquam ad normam exigitur? Verba paucula, quæ ipsis fortasse imprudentibus exciderunt, deberentne videri idonea, quæ opponerentur Conciliorum generalium & Sedis Apostolicæ & Episcoporum è Clero Gallicano quadringentorum & ampliùs declarationibus, horum Cardinalium textibus decretoriis, atque etiam hominum è sectâ confessionibus, præsertim in eâ re quæ ad fidem nostram dirigendam adcò necessaria est

& cujusdam fundamenti locum obtinet?

Denique si varii hujus ætatis Theologi captiosâ illâ juris & facti distinctione decepti credidissent, Ecclesiam esse obnoxiam errori in dijudicandis textibus dogmaticis seu brevioribus seu longioribus, quos sive canonibus, sive decretis aliis generalibus roboris ejusdem dijudicat, sequeretur sanè, fatentibus ipsis è sectâ hominibus, Theologos illos longiùs quam par est progressos esse, & malè miscuisse textus cum factis particularibus, quæ nihil planè faciunt ad corpus traditionis. Tum verò spes Theologos ejusmodi ad meliora consilia paulatim adducendi, facere posset ut interim illi tolerarentur, atque erga illos adhiberetur singularis ea facilitas atque indulgentia, quam videmus à Sede Apostolicâ fuisse adhibitam erga Rebaptisantes Africanos atque Asiaticos, quemadmodum & illa de animarum propagatione sententia, cui tantopere favit S. Augustinus, quam tot Occidentales teste S. Hieronymo amplectebantur, fuit illis temporibus tolerata; quemadmodum Ecclesia tam patienter Schismaticos quinto Concilio adversantes tolerandos esse duxit, ac deinde Caroli Magni ætate tot Episcopos, qui cultum sacrarum imagi-

num relativum à ſeptimo Concilio approbatum non prorsùs ác ſine ullâ exceptione volebant admittere. Plena ſunt Eccleſiæ monumenta exemplis ejuſmodi, quibus materna illius facilitas ac patientia demonſtratur. Sed eam Eccleſia non adhibet, niſi cum intelligit animos errore aliquo imbutos eſſe tamen modeſtos, apertos ac faciles, & paratos ad errorem ubi fuerit ipſis oſtenſus, deponendum. Longè abeſt Eccleſia, ut ſuâ illâ facilitate ſectæ arrogantis ſuperbiam foveat, dum illa ſecta libellos offenſionis plenos in vulgus ſpargere non deſinit, dum judicia vel maximè ſolemnia obterit & conculcat, dum eâ tantùm lege in Eccleſiæ gremio manere vult, ut ipſi Eccleſiæ imperitet, atque omnes ejus filios pertrahat in errorem. Tum verò quinque Conſtitutiones edit, & in eo conſtans ac firma eſt, ut fidem certam, minimè variandam, ſolemni jurejurando teſtatam in libri damnati hæreticitatem exigat, intentatâ eâdem pænâ, quæ hæreticis & à Chriſti corpore ſejunctis infligitur. Quid igitur fit illâ traditione, quæ profectò pugnare non poteſt cum antiquis Conciliis, cum hujus ætatis cœtibus, cum ipſis hominum è ſectâ confeſſionibus? Ipſa nimirum tota

ſine ullo noſtro labore ruit & concidit. Poteramus hanc illi ſcriptori operam delegare, ut in eâ quam nobis objicit traditione confutandâ ſe exerceret, oſtenderetque quantum ea ſit inanis & commentitia; Verùm aliquid etiam amplius præſtitimus, ſiquidem ex Sancti Thomę & eorum qui ſanctum Doctorem ſunt conſecuti, principiis oſtendimus, eos omnes veterum Conciliorum veſtigia fuiſſe perſecutos.

Hujus Operis Clauſula.

1. PRimâ hujus operis parte vidimus homines è ſectâ, veritos nimirum ne in Catholicorum omnium offenſionem incurrerent, agnoviſſe infallibilitatem quamdam Eccleſiæ promiſſam in ſymbolorum canonumque textibus efformandis. Jam verò iſtud dum fatentur, ipſis verbis revocant id quod totius ſuæ controverſiæ fundamentum eſſe voluerant, ſcilicet infallibilitatem omnem dogmatibus nominatim revelatis contineri. Symbolorum certè canonumque textus facta quædam ſunt omni revelatione poſteriora, atque adeò non ſuntfacta ejuſmodi nominatim revelata. Fatentur tamen homines è ſectâ Eccleſiam eſſe im-

munem ab erroris periculo in dijudicandis ejusmodi factis. Debent igitur homines è sectâ modestè confiteri errorem suum, debent bonâ fide agnoscere se per annos ampliùs quinquaginta obstinatè cum summâ fidelium omnium offensione disputasse nixos eo principio, quod & pestilens est & non potest defendi; debent denique offensionem illam & scandalum ultrò ac demissis animis reparare.

2. Vidimus alterâ hujus operis parte, Ecclesiam pariter esse immunem ab erroris periculo in *decretis illis generalibus*, quibus textus aliquos seu longiores seu breviores damnat, spectatos secundum se, quantum pertinent ad depositi conservationem & ad fidei nostræ normam, sepositâ quęstione de mente scriptorum propriâ ac personali. Atque hæc infallibilitas etiam magis elucet, ubi Ecclesia in fidei professione postulat fide internâ & certâ credi damnati textûs hæreticitatem, atque hanc fidem jubet solemni jurejurando confirmari. Sanè manifestum est ejusmodi *decreta generalia* vim omnem canonum atque auctoritatem obtinere, cum ipsi canones nihil sint præter damnationes textuum comparatas ad depositum fidei adversùs textus illos pesti-

lentes conservandum. Eadem prorsùs est textuum dogmaticorum ratio, quorum alii breviores sunt, alii longiores. Eadem prorsùs Ecclesia utrosque damnat, atque in utrisque damnandis eamdem auctoritatem, eamdem censuræ notam usurpat. Eadem prorsùs est materia, eadem forma judicii. Eadem Ecclesiæ necessitas, idem usus, siquidem textus longior est etiam pestilentior adversùs fidem, quam brevior textus. Eumdem sibi Ecclesia finem proponit in utroque illo textuum genere damnando, siquidem utrobique vult pariter & hæretico sermoni contradicere, qui *ut cancer serpit*, & propositionem contradicentem affirmare, tanquam quæ sit de fide.

3. Tertiâ parte demonstravimus hanc Ecclesiæ infallibilitatem, vel hominibus è sectâ fatentibus, pertinere etiam ad textus sanctorum Patrum, aliorumque scriptorum privatorum, ex quibus traditio coalescit, v. g. ad textum sancti Athanasii de Verbi divinitate, ad textum sancti Cyrilli de unitate personæ cum duabus naturis in Christo, & ad textum S. Augustini de necessitate gratiæ interioris. Manifestum est non posse Ecclesiam esse immunem ab erroris periculo

in approbandis textibus iis, quibus vera traditio constat, nisi sit quoque ab omni erroris periculo immunis in iis textibus rejiciendis, ex quibus falsa traditio efficitur. Hos ab illis secernere non potest, nisi quatenùs eos inter se pugnare intelligit. Deindè generalia decreta cum illis longioribus textibus quos damnant, non minùs pertinent ad sæculi sui traditionem, quam canones cum textibus brevioribus quos pariter damnant, ad ætatis suæ traditionem pertinent.

Ostendimus prætereà, etiamsi daremus hominibus è sectâ totum illud quod postulant, scilicet quæstiones de textibus dogmaticis ad solam disciplinam pertinere, nihilominùs Ecclesiam fore ipsis etiam fatentibus, *verâ infallibilitate præditam* in rebus ejusmodi statuendis, quæ profectò spectant ad *disciplinam*, ad *externam administrationem*, ad *rectum ordinem* morum quibus populorum salus procuratur. Enimverò 1. nihil æquè facit ad *rectum ordinem* informationemque morum, quam non exigere fidem certam eamque jurejurando testatam hæreticitatis textûs cujuspiam, si textus ille tam purus est, quam sancti Augustini textus. 2. Nihil est quod bonis moribus tam adversetur, quam jusjurandum

vanum ac temerarium, nixum eâ auctoritate quæ obnoxia ſit errori, ad affirmandum *merum factum momenti nullius*, & quidem in controverſiâ meræ criticę propriâ.

4. Parte quartâ oſtendimus quartum Concilium, quintum, ſextum, ſeptimum, ſynodum Martini I. ſummi Pontificis, Conſtantienſe præterà Concilium ac Tridentinum hanc in dijudicandis textibus infallibilitatem agnoviſſe, imò & ſanctam Sedem fatentibus hominibus è ſectâ hanc eamdem infallibilitatem ipſo uſu adhibuiſſe, hanc verbis apertis, ſi proprio ac nativo ſenſu ſumantur, declaraviſſe, denique Epiſcopos quadringentos & amplius publicis inſtrumentis per annos ſexaginta eamdem infallibilitatem docuiſſe ſeu verbis ipſis, ſeu verbis aliis roboris ejuſdem, quæ eludere nemo poſſet niſi ea per ſummam indignitatem miſerè contorqueret. Atque hæc nos deducimus ex ipſo illo opere, quod ad nos refellendos conſcriptum & comparatum eſt.

Fruſtrà vero ſcriptor ille aggrederetur argutas quaſdam & captioſas diſputationes ad tam breves tamque firmas argumentationes opponere. Nos idem illi dicemus, quod Juliano ſanctus Augu-

Op. imp. l. II. n. 98. ſtinus. *Apparet te propterea irriſiſſe quod dixi, vel potius te irridere finxiſſe, ut his qui te non intelligunt, videreris dicere aliquid, cum diceres nihil.*

Non poteſt ille verè ac ſeriò quidquam nobis reponere, niſi aliquid ex his tribus efficiat. Primum eſt, ut revocet confeſſionem illam ſuam, quæ fuit pariter Arnaldi & cæterorum hominum è ſectâ confeſſio, atque adeò defendat, Eccleſiam poſſe & ipſam labi & nos inducere in errorem in omnibus ſymbolorum ſuorum canonumque textibus. Id verò quid eſt aliud niſi fidei noſtræ normam atque ipſa fundamenta convellere? Alterum eſt, ut breviter & clarè demonſtret breviorem textum qui canone damnatur, toto genere differre à textu longiore qui damnatur *decretis generalibus.* Tertium foret, ut oſtenderet, quod quidem facere non poſſet, niſi pugnaret ipſe ſecum, Eccleſiam errare poſſe in iis quæ pertinent ad *diſciplinam*, ad *externam adminiſtrationem*, ad *rectum ordinem*, ad mores ipſos, in quibus erraret profectò ſi nobis imperaret jusjurandum vanum, falſum, temerarium de mero facto momenti nullius in eâ controverſiâ quæ tota ſit criticæ. Niſi unum ex his tribus reſpondeat, & quidem clarè,

breviter, diſtinctè, non jam reſpondere cenſebitur, ſed jactare ſe pueriliter ad fucum lectoribus parùm attentis & præjudicio laborantibus faciendum.

Atque ut hæc tota controverſia quo loco ſit penitùs intelligatur, quinque proponendæ ſunt variæ ſententiæ & quaſi ſyſtemata.

1. Sententia eò redit, ſubſcribendum eſſe formulæ, jusjurandum addendum, fidem certam habendam de Janſeniani textûs hereticitate quam Eccleſia decrevit, quia non poteſt Eccleſia nos in ejuſmodi re fallere. Hæc ſententia nititur promiſſionibus Christi, qui ſe pollicitus eſt cum Eccleſiâ *futurum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi*, & quidem *docentem omnes* gentes, hoc eſt, condentem *ſymbolorum canonumque* & aliorum *generalium decretorum* textus ad dijudicandum ſermonem, qui ſacro fidei depoſito vel conſentaneus eſt vel diſſentaneus. Hæc ſententia nititur apertis quarti, quinti, ſexti, ſeptimi Concilii verbis, nititur ſynodi Martini Papæ & Concilii Conſtantienſis ac Tridentini Concilii decretis. Nititur poſtremâ Sedis Apoſtolicæ Conſtitutione, & ſolemnibus quadringentorum & ampliùs hujus ætatis Epiſcoporum inſtrumentis,

quorum verba si religiosè propriò ac nativo sensu accipiantur, clarè, vel fatente nostro adversario, significant auctoritatem hanc ab omni erroris periculo sejunctam. Imò & hæc sententia nititur ipsâ rei evidentiâ, quandoquidem est meridianâ luce clarius, frustrà fore Ecclesiam infallibilem in cogitando, nisi sit pariter infallibilis in loquendo, sive in cogitationibus suis verborum ope definiendis ac transmittendis. Tota hæc doctrinæ series simplex est, cohærens ac sibi perpetuò constans, accommodata est ad frangendam humanam superbiam, nullum ipsi locum aut effugium relinquit. Conciliat mentes omnes inter se, quia perfectam omnibus & sine ullâ exceptione obedientiam imperat. Juris controversiam facit ex eâ quæ dicitur facti controversiâ tutam ac definitam. Tollit offensionem omnem, quam ex disputationibus oriri necesse est. De hac infallibilitate sic loquitur Illust. sancti Pontii Episcopus. *Ultrò fatebor sententiam tuam esse piam... Imò & illud addam ....fore Pastoribus jucundum, atque etiam non parùm utile, mentem humanam tenere quasi arctissimis religionis vinculis constrictam, ut fractâ ac depositâ superbiâ quibuslibet Ecclesiæ decretis obsequi condiscat.* Ipse

1. Lettre p. 26.

Ipſe obſequioſi ſilentii deffenſor hæc habet : *Fateor hanc infallibilitatem fore percommodam & peroportunam. Eſſet ea ſanè brevis ac facilis controverſiarum finiendarum ratio.* Fatetur idem ſcriptor nullum aliud *formulæ fulcimen & firmamentum ſubminiſtrari* poſſe, *ſolum eſſe legitimum principium*, quo ſanctæ Sedis & Epiſcoporum omnium ratio poſſit approbari. Quid igitur attinet promiſſionum divinarum verba, traditionemque totam malle turpiter contorquere, quam agnoſcere auctoritatem eam, quæ tam utilis eſt ad *frangendam* mentis humanæ *ſuperbiam*, quæ tam *commoda* eſt, tam *oportuna*, quæ tam *brevis eſt ac facilis controverſiarum finiendarum ratio*, quæ tam aptum *fulcimen*, tam *legitimum principium* ſubminiſtrat ad totius Eccleſiæ rationem approbandam ? Unde verò illa arrogantia, illa aſperitas, illa tanta pervicacia, ut ne cognoſcere quidem, atque attentè perpendere velint ullum ex iis ſcriptis, quibus illa tam oportuna doctrinæ ſeries proponitur ac probatur ? p. 1355.

Altera ſententia eſt Politicorum è ſectâ quos *viros honeſtos atque urbanos* Arnaldus vocabat. Hi ſcilicet mundo ſimul ac Deo ſervire, & conſcientiæ leges cum politicæ legibus conciliare ſtudent. Qua,

re ad hanc rationem confugiunt, quæ secum ipsa pugnat, & stare prorsùs non potest. Volunt in illud quod non credunt sic jurare, ut tamen absint à perjurio Volunt certam atque absolutam fidem repetere ab eâ auctoritate quæ obnoxia sit errori, atque adeò incerta. Nullum est, è quatuor systematibus cum primo pugnantibus, isto systemate absurdius, nullum quod minùs deffendi queat. Hoc qui tuentur, possunt quidem verba proferre, at sensum ullum verum animo & mente complecti non possunt. Imò ne attendunt quidem ad vim ac sensum eorum verborum quæ proferunt. Prima logicæ rudimenta satis nos docent nullam fidem certiorem esse posse, quam sit illud motivum seu argumentum quo solo nititur. Itaque si ponatur nihil esse aliud quo impellamur ad credendam hæreticitatem Janseniani textûs, præter auctoritatem obnoxiam falsitati, fieri prorsùs non potest, ut qui eâ solâ auctoritate ductus credit, non timeat ne ab illâ inducatur in errorem. Ea auctoritas cum in verum pariter ac falsum propendeat, manet incerta per se ac dubia. Non potest igitur parere fidem ullam certam, atque absolutam. *Signum* est *fallibile*, à quo sanctus Tho-

mas censet *intellectum* sine *aliquâ inordinatione moveri* non posse. Imò ne positum quidem est in potestate intellectûs humani factum aliquod affirmare & testari tanquam certum, quoties movetur ejusmodi *signo fallibili*, incerto atque ambiguo, nisi sibi ipse imponat ac se deludat. Qui ab eo argumento quod per se incertum est, fidem certam elicere tentat, is tantumdem facit, ac si circulum ex triangulo, & lucem è tenebris eruere tentaret. Qui sic disputant, ne intelligunt quidem satis ea quæ proferunt.

Tertia sententia est hominum molliorum è sectâ, qui tandem eò devenerunt, ut in formulæ jurejurando probabilitatem sibi sequendam arbitrarentur. Talis est Theologus ille qui Leodiensis dicitur. *Isti Probabilistæ*, quibus sectæ pars longè maxima continetur, id volunt, non licere jurare in hæreticitatem Janseniani textûs, quia Ecclesia cum non decreverit se esse immunem ab erroris periculo in illâ hæreticitate dijudicandâ, eam *reliquit inter illa quæ non certissimè constant*. Nihil aliud, inquiunt, affirmatur jurejurando, nisi sinceritas quâ hæreticitas illa creditur. Quare jusjurandum non est de veritate illius quod venit in controversiam, sed de sinceritate quâ illud quâ-

cumque tandem ratione persuasum esse declaratur. Facilè intelligitur persuasionem ejusmodi, quamlibet sincera esse fingatur, tamen certam esse non posse, quandoquidem statuitur rem ipsam *relictam* esse *inter illa quæ non certissimè constant*, neque licere in eam jurare, quod liceret profectò si certa res esset. Manifestum est rem aliquam *relictam inter illa*, in quæ jurare non licet, quia *non certissimè constant*, hoc habere posse ad summum, ut sit valdè probabilis. Quare sincera illa persuasio necessariò redit ad opinionem valdè probabilem. Atqui scholæ omnes consentiunt opinionem aliquam merè probabilem, quantumvis probabilis dicatur, etiam proximè infrà certam cognitionem ac fidem, relinquere semper opinioni oppositæ aliquem probabilitatis gradum. Eo constituto, quod inficiari nemo potest, dicatur sanè hæreticitas Janseniani textûs esse in summo probabilitatis gradu & proximè infra cognitionem absolutam ac certam, at ejusdem textûs Catholicitas erit in infimo gradu probabilitatis. Erit quidem summè probabile, textum hunc esse hæreticum, rectè quinque Constitutionibus fuisse damnatum, atque huic judicio subscribi ab omnibus oportere. Sed erit

quoque aliquantulum probabile, & in infimo probabilitatis gradu positum, textum hunc æquè purum esse, ac sancti Augustini textum, eo nihil significari præter puram fidem adversùs Pelagianam hæresim, atque adeò quinque Constitutiones quæ huic textui Antipelagiano, hoc est, Augustiniano contradicunt, esse Pelagianas, si verba rigidè atque accuratè expendantur. Frustrà verò molliores illi Theologi statuent probabilitatem alteram alterâ esse centies majorem. Illa quantumvis magna disparitas non faciet, ut damnati textûs Catholicitas non maneat probabiliter vera, ut illius hæreticitas toties decreta non maneat probabiliter falsa, ut quinque Constitutiones non sint probabiliter Pelagianæ. Quin etiam eo posito fatendum est formulam esse instrumentum sine controversiâ tyrannicum, siquidem non licet extorquere jusjurandum, & quidem vanum, in opinionem aliquam probabiliter falsam adversùs opinionem alteram probabiliter veram, de *facto momenti nullius*, atque in eâ re quæ ad meram criticam pertineat, cum Ecclesia debeat semper Theologis liberam facere sentiendi atque opinandi potestatem in iis controversiis, quæ solâ probabilitate con-

tineantur, & in partem alterutram æquè defendi possint. Atque indè consequetur, hanc meræ criticæ controversiam æquè utrinque defendi posse, & in solâ probabilitate majori vel minori esse positam, atque adeò manifestè adhiberi ab Ecclesiâ tyrannidem eam, quæ ferenda non sit, in vano ac temerario jurejurando importunè extorquendo. Indè consequetur probabile esse, homines Jansenianos persecutionem pati propter cælestem sancti Augustini atque adeò totius Ecclesiæ doctrinam. Quis non horreat eam sententiam, quæ rem ejusmodi *relinquit inter illa quæ non certissimè constant*, atque adeò quæ sunt incerta ? Qui sic disputare malunt, quam auctoritatem agnoscere immunem ab erroris periculo, non audent jactare se nisi in secretis colloquiis, in quibus impunè audere quidlibet possunt. Nemo eorum auderet scripto atque enunciato vero suo nomine, defendere sententiam adeò frivolam, tantæ offensionis plenam, tam temerariam adversùs quinque Constitutiones atque universæ Ecclesiæ rationem. Esset illa, ut S. Hieronymus de Pelagianis aiebat, *Ecclesiæ victoria*, homines ejusmodi *apertè dicere quod sentiunt*. Possumus & eos ejusdem sancti Doctoris

Ep. ad Ctesiph. contra Pel.

verbis compellare. *In eo vincemus quod omnes cognoscent Ecclesiæ, quid sentiatis. Sententias vestras prodidisse superasse est. Patet primâ fronte blasphemia. Non necesse habet convinci, quod suâ statim professione blasphemum est.*

Quarta sententia est eorum Theologorum, qui cum nec credere velint, nec jurare, silentio se obsequio o continent. Et illi quidem plus in agendo præ se ferunt & veritatis & fortitudinis. Sed nimirum hoc eos malè habet. Primùm adversarios habent omnes è secta *Probabilistas* molliores, omnes *urbanos viros*, imò Episcopos prorsùs omnes, qui obsequiosum silentium satis non esse pronunciarunt, atque in eo damnando se ad summum Pontificem Christi Vicarium adjunxere. Deinde hoc sibi persuaserunt Jansenii textu nihil aliud tradi præter eam delectationem, quam *necesse sit* ut voluntas nostra sequatur in actibus singulis, quia illam ea delectatio & prævenit *indeclinabiliter*, & *insuperabiliter* determinat. Atqui præterea sic habent hanc ipsam delectationem à sancto Augustino tanquam dogma fidei contrà Pelagianos propugnatam fuisse. Quare facere non possunt ut non credant quinque Constitutiones, quæ textum hunc

Antipelagianum damnant, atque illi manifestè contradicunt, esse apertè ac verbis ipsis Pelagianas. Id qui ponunt, ponere pariter debent puram fidem longè periculo graviori jactari, quam Ariminensis Concilii tempore jactabatur. Quippe illius Concilii Episcopi vix eam fidei formulam, quæ per fraudem ipsis oblata fuerat, admiserant, cum statim eamdem non sine horrore ac gemitu repudiarunt. Errorem atque imprudentiam per brevem illustris pœnitentia emendavit. Verùm si valet id quod homines è secta ponunt, jam ab annis ferè septuaginta tum Sedes Apostolica quinque Constitutionibus, tum Episcopi ampliùs quadringenti solemnibus suis instrumentis reprobant ac proscribunt absque intermissione textum illum, quo pura fides adversùs hæresim Pelagianam continetur. Nunquam ab Apostolorum ætate contigit, ut depositum fidei tanto in discrimine versaretur. Ea certè sunt tempora, quibus Gerso silentium obsequiosum damnat, quia *manifestus* esset *error contra fidem*, *& scandalum grande fidei*. Tum certè S. Augustinus docet id quod à Pastoribus decretum est, *per sermonem forte sapientiorem licere reprehendi*. Tum certè sanctus Thomas affirmat, Eccle-

De Exam. Doctr. consid. 2.

L. 2. de bapt. cap. 3.

siam, siquid ipsa *contra auctoritatem divinam errore humano induxisset*, debere sua dicta revocare, atque hanc emendare subreptionem, *quando ad notitiam Ecclesiæ venit*. Itaque non modò non valet hoc loco silentium illud ignavum, quo veritas proderetur, sed quisquis manifestè videt subreptionem vel errorem in facto positum, monere debet Ecclesiam, sic tamen ut fortitudinem cum reverentiâ ac modestiâ conjungat. Ita Eusebius Dorylæus, qui tum laïcus erat, in mediâ urbe Constanstinopoli, in quâ Nestorius tantùm valebat, ejus errores palam atque apertè coarguit. Ita Ecclesiæ Romanæ Presbyteri fortiter summo Pontifici Liberio restiterunt, cum ille fraudibus Arianorum in errorem lapsus esse videretur. Si Jansenii textus, ut homines è sectâ volunt, nihil habet præter cælestem S. Augustini doctrinam, quæ est merum fidei dogma adversùs Pelagianam hæresim, quinque Constitutiones huic textui Antipelagiano contradicentes sunt ipsis verbis Pelagianæ. Tum verò Jansenii defensores iidem sunt & defensores S. Augustini. Tum quantumvis clament, nimii esse non possunt, ad compescendam eam pestem, quæ jam annos 70. perdurat. Si

hæreticus sermo etiam privati cujuslibet, *ut cancer serpit* adversùs fidem, quantò funestior est pestis adversùs depositum, si manat illa ex quinque Pelagianis Sedis Apostolicæ Constitutionibus, & ex instrumentis solemnibus Episcoporum 400. qui Theologos omnes cogunt jurare in illum textum Pelagianum adversùs textum alterum, quo cælestis doctrina S. Augustini continetur ? Quid est prodere depositum, si non censendus est illud prodere, qui tacere mavult ubi tanta est loquendi necessitas ? Igitur homines è sectâ se ipsi accusant, dum & silentium obsequiosum pollicentur, & tamen statuunt Ecclesiam eo quem memorant errore facti lapsam esse. Hoc unum Ecclesiæ debent, ut illam cum summâ modestiâ sui erroris admonere non vereantur. Et verò fatendum est eos silentium hoc non verè ac seriò polliceri. Quippe hac unâ lege pollicentur, ut Ecclesia quoque sileat, quæ pollicitatio hominum est non tam sincerè parere volentium, quam ab armis aliquandiu, quod fieri solet inter pares, utrinque abstinere. Quippè silentium hoc ita pollicentur jam ab annis ampliùs quinquaginta, ut nunquam tamen sileant, & nunquam desinant se scriptis vel maxi-

mè arrogantibus efferre. Itaque silentium hoc quod toties pollicentur, quod tantopere jactant, ipsi neque legitimè pollicentur, neque diligenter tenent.

Quinta sententia est eorum Theologorum, qui cum sibi persuasissent Jansenii textum esse ab omni errore purissimum, atque adeò quinque Constitutiones esse pestilentes, silentium obsequiosum denegarent atque provocarent ad Concilium. Hoc unum est quod homines è sectâ jure sequi possint, si verum est illud quod statuunt. Sed quo tandem pacto rationem hanc tenebunt? Quis erit, qui provocet, qui Concilium œcumenicum postulet? Nemo certè ex iis, qui formulæ subscribunt, postulare hoc potest. Illi Politici, qui *urbani viri* vocantur, qui sine ullâ dubitatione jurant quidquid jubentur, qui pollicentur se certò credere, cum certam fidem nullam habeant, eamque tantùm auctoritatem sequantur, quæ obnoxia sit errori, non possunt ab eo judicio provocare, quod se absolutè & sine ullâ exceptione ratum habere jurejurando confirmant. Jamverò *Probabilistæ*, qui jurant in illud judicium, scilicet ut in sententiam probabilem, essent ipsi nefariè perjuri, si ab eodem judicio provocarent ad Conci-

lium. Quis ergo tandem provocationem hanc in se suscipiet ? Omnis sectæ turba his duobus hominum generibus continetur, quorum alii *urbani viri* politici sunt atque in quamvis partem torqueri faciles, alii probabilistæ non dubitant in illam suam ridiculam probabilitatem confidenter jurare. Quinam supersunt, præter septem vel octo scriptores ignoti nominis vel in Galliâ delitescentes, vel in Hollandiam profugos, qui formulæ subscribere obstinatè recusant ? Sed homines illi auderentne provocationem ejusmodi seriò perscribere, ac postulare ut ipsorum gratiâ Concilium ab Ecclesiâ convocetur ? Id aggredi non possent, nisi sibi turpiter ipsi contradicerent, discederentque ab eo silentio obsequioso, quod toties ab annis ampliùs quinquaginta sunt polliciti. Verùm denique, etiamsi auderent provocare, ipsis universa Ecclesia responderet id quod Pelagianis respondebat S. Augustinus, *causa finita est*. Sanè septem vel octo scriptores delitescentes, aut in Hollandiam profugi nullo pacto digni sunt qui conferantur cum sectâ Pelagianâ, quæ octodecim saltem Episcopos habebat in Italiâ, prætereaque, ut ex Hilario & S. Prospero discimus, alios *Episcopos* atque

etiam *sanctos* in Galliis. Quare cum Pelagianæ sectę, quæ tanto numero fuit, causa finita fuerit eo Apostolicæ Sedis judicio quod Episcopi Africani ratum habuere, longè potiori jure statui debet quinque Sedis ejusdem Constitutionibus, quas & omnes Galliæ Episcopi summo plausu excepere, & cœteræ gentes *tacito suo consensu* ratas habuere, finitam esse causam septem vel octo scriptorum vel delitescentium, vel in Hollandiam eâ mente profugorum; ut Jansenium adversùs sanctam Sedem & Episcopos ampliùs quadringentos tueantur.

Itaque nulla est, præter primam, sententia, quam sequi ratio patiatur. Neque fides certa potest esse, ubi nulla est certa cognitio, jubente eâ auctoritate quæ statuitur posse in eâ ipsâ re fallere, neque jusjurandum vanum jurari potest in opinionem probabiliter falsam adversùs alteram opinionem probabiliter veram, de *facto momenti nullius*; neque etiam silentium obsequiosum servari, si statuitur Jansenii textum esse purum, atque adeò quinque Constitutiones, quæ ipsi contradicunt, esse ipsis verbis omninò Pelagianas; neque denique provocari ad Concilium, quandoquidem *causam esse finitam* Ecclesia universa clamat & sum-

mo consensu denunciat. Iine possunt tolerari, qui volunt quinque Constitutiones esse probabiliter Pelagianas, atque adeò formulam esse absque dubitatione tyrannicam ? Quem non debent offendere qui silentium quoddam ignavum pollicentur de iis Constitutionibus, quas iidem statuunt esse Pelagianas ? Denique debetne œcumenicum Concicilium convocari propter homines septem vel octo nullius nominis vel delitescentes, vel in Hollandiam profugos, qui soli jam resistunt Ecclesiæ *causam finitam* esse affirmanti ? Superest igitur hæc una sententia, & doctrinæ series apta, simplex, sibi ipsa prorsùs consentiens. Ea est, quæ docet esse certò credendum propter auctoritatem certam, hoc est, eam quæ fallere non possit, & *intellectum redigendum esse in captivitatem*, subdendumque *auctoritati Petri divino ore firmatæ*.

Frustrà verò homines è sectâ ubi se urgeri sentiunt, modò *urbanorum virorum*, modò *Probabilistarum* argumentis utuntur, modò etiam fugitivorum, qui nihil præter silentium obsequiosum pollicentur. Argumenta illa quæ à variis sectæ classibus adhibentur, alia aliis adversantur & repugnant, neque aut

bona fides aut recta ratio patitur alios ubi se premi intelligunt, ad aliorum argumenta confugere, quippe quæ, ut manifestè patet, simul consistere non possint. Atque inter hæc systemata, quatuor sunt apertissimæ fraudis & mendacii plena; alia ab aliis convelluntur; & homines è sectâ, ut alia nobis desint, suis ipsi argumentis opprimuntur.

Frustrà suam homines è sectâ constantiam ac studium prædicant, quo intrà Ecclesiæ sinum permanent. Non ille cum Ecclesiâ conjunctus est, qui eam non audit imperantem jusjurandum, quo fides certa atque absoluta sine ullâ erroris formidine promittatur. Vera conjunctio posita non est in verbis, non in externâ quâdam conjunctionis specie versatur, sed in verâ ac sincerâ voluntatum animorumque consensione. Nihil est pestilentius, quam si quis in Ecclesiæ sinu manere eâ mente velit, ut Ecclesiæ imperitet, atque eam sensim in suæ sectæ præjudicia pertrahat. Non ille cum Ecclesiâ conspirare censendus est, qui damnationes ab Ecclesiâ decretas vel damnat vel eludit. Non ille verâ docilitate cum Ecclesiâ conjunctus est, qui audet dicere, id quod Ecclesia damnat, purum tamen ab omni censuræ notâ

permansurum, *quæcumque deinceps Constitutiones ac Mandata promulgentur.* Novum est tentationis genus postremis Ecclesiæ temporibus reservatum, illa Novatorum agendi ratio, qui intrà Ecclesiam ideò manere student, ut eam seducant, neque concordiam externam servare videntur, nisi ut dividant animos & Ep. 69. bella ferant interna. *Illud mirandum*, aiebat S. Cyprianus, *imò indignandum potiùs & dolendum, Christianos .... intra septa Ecclesiæ contra Ecclesiam stare.* Dum tam sedulò videri volunt obsequentes, nihil tamen audire volunt, nihil perpendere, ne attendere quidem volunt ad eam dissensionem quæ inter ipsos est. Alteri alteros accusant, vel perduellionis in Ecclesiam, vel perjurii atque hypocrisis. Sed nihilominus alteri alteris gratulantur, & mirum in modum omnes adversùs tam solemnia decreta conspirant.

Quisquis pacem ac veritatem amat, is si duo tantùm ex *deffensione obsequiosi silentii* loca perlegerit, intelliget facilè totum opus dignum non fuisse quod refelleretur. Hinc quidem ait: *Silentium* p. 249. *obsequiosum omninò satis esse demonstratum est atque ea demonstratio manebit, quæcumque deinceps Constitutiones ac Mandata*

data

data promulgentur. Indè verò: *Nemo unquam, quamlibet se torqueat ut formulæ fulcimen aliquod & firmamentum subministret, ullum reperiet aliud, quam infallibilitatem Ecclesiæ.* Hæc *infallibilitas solum est legitimum principium*, quo formula possit approbari. *Quandiù Ecclesiæ in factis dijudicandis infallibilitas non erit decisa*, formula *erit tantùm lapis offensionis & petra scandali.* Quare homines è sectâ, *quæcumque deinceps Constitutiones ac Mandata promulgentur*, victos à se summum Pontificem atque Episcopos arbitrabuntur, nisi *formulæ fulcimen aliquod & firmamentum* statuatur in *Ecclesiæ infallibilitate.* Itaque non potest Ecclesiæ ratio approbari nisi ex eo *solo legitimo principio*, quod nos defendimus. Quæ unquam causa fuit æquior, quam nostra? Quæ unquam fuit magis invidiosa, quam hominum è sectâ? Atqui necesse est, ut ex his duobus alterum quivis lector pius eligat. Nam nihil omninò tertium esse, quod *legitimè* sequi possimus, scriptor ille nos admonet. Alterum est, decreta omnia proterere, *quæcumque deinceps Constitutiones ac Mandata promulgentur.* Alterum est, confugere ad infallibilitatem, quæ sit *formulæ fulcimen ac firmamentum*, & *principium*

p. 1361. p. 128. p. 848.

legitimum, quo illa approbetur. Igitur Catholicus quivis, qui imperare sibi non potest, ut obdurato adversùs Ecclesiam corde (*constitutiones* omnes ac *Mandata* despiciat, debet denique, vel scriptore illo confitente, *infallibilitatem* agnoscere, tanquam solum *formulæ fulcimen ac firmamentum*. Frustrà, inquit ille, commentitium quoddam illi formulæ fulcimen, per malas artes & verborum lenocinia quæritur. Frustrà colligendis inanibus argutiis id se consequi posse sperabunt, ut vel certam animi fidem comminiscantur nixam eâ auctoritate quæ incerta sit & fallax, vel probabilitatem quamdam, quâ statuitur Constitutiones esse & probabiliter Pelagianas & certò tyrannicas. Frustrà congerentur blandiora illa vocabula præjudicii, obsequii, pietatis atque observantiæ, qualis esse debet filiorum in parentes, quibus omnibus verbis nihil omninò, si verum quærimus, significatur, præter silentium obsequiosum, si tam latè sumatur quam suâ sponte patet, & quale homines è sectâ perpetuò suis scriptis obtulerunt. *Nemo unquam*, inquit ille scriptor, *quamlibet se torqueat*, quidquam tertium reperiet. Necesse est, aut formulam detestari, *quacumque deinceps Con-*

stitutiones ac Mandata promulgentur, vel ipsi fulcimen ac firmamentum aliquod in infallibilitate reperire. Atque hęc una confessio satis esse deberet ad reconciliandos lectores eos omnes, qui nondum ad sanctissimæ matris Ecclesiæ vocem obsurduerunt. Deberet etiam valere ad errorem iis eripiendum, qui vanâ spe ducuntur, fore ut offensioni tam gravi nescio quæ blandior &. temperata ratio finem imponat. Quodnam igitur nostrum crimen est, dum volumus *formulæ firmamentum* illud *subministrare*, quod unum habere formula potest? Quæ nostra imprudentia est, dum volumus illud principium tueri ac defendere, quo uno Ecclesiæ causa *legitimè* potest approbari? Itaque vel orbis universus intelligit, quanta sit hujus scriptoris in suis hominibus propugnandis & quam inconsiderata temeritas. Atqui nihil habet præter id quod non sit suæ sectæ placitis consentaneum. Quis verò non jure miretur, tot homines alioqui pios, ejusmodi portenta sine horrore legere, imò in illis summo plausu excipiendis se ad homines è sectâ contra Ecclesiam adjungere? Quis non jure miretur omnes illos è sectâ *honestos atque urbanos viros* omnes *Probabilistas* librum eum collaudare, quo

& ipsi perjurii atque hyprocrisis rei convincuntur, & *Constitutiones* omnes ac *Mandata* seu promulgata, seu *deinceps promulganda* per indignationem & contemptum abjiciuntur. Hac tantùm lege scriptor ille intra Ecclesiam manere cogitat, ut ipsi liceat has Constitutiones, atque hæc Mandata proterere; & sunt qui hominem tam furiosè insanientem approbent atque admirentur. Homines illi semper ad sectæ scripta plausu excipienda prompti ac parati tam cœco studio abripiuntur, ut ne advertant quidem scriptorem hunc non aliud habere perfugium, quam ut textus claros & minimè controversos distinguat à textibus obscuris & controversis. Atqui nos Documento nostro altero Pastorali totis capitibus 4. 5. 6. & 7. hoc est, editionis latinæ à pag. 56. ad 146. ostendimus quam inanis sit & frivola hæc distinctio, quam parum ad hanc quæ nunc agitur controversiam pertineat. Et scriptor ille, qui scilicet gloriatur nihil se reliquisse, ad quod non appositè responderit, ne verbum quidem respondere ausus est opere tam prolixo ad ea quibus nos effugium hoc clarè atque apertè refellere aggressi sumus. Estne opus præterea pluribus, ut ostendatur ipsum longâ suâ

illâ responsione nihil tamen agere, cum videri velit ad omnia respondisse? Superest igitur ut ipsum iis verbis compellemus, quibus Julianum S. Augustinus compellabat. *Falleris, fili, miserabiliter falleris. Vel etiam detestabiliter falleris. Quando animositatem quâ teneris viceris, tunc veritatem poteris tenere, quâ vinceris.* Contra Jul. lib. 4.

Datum Cameraci 1. Julii 1708.

FRANCISCUS ARCH. DUX CAMERACENSIS.

De mandato Illust. Domini

STIEVENARD à Secret.

INDEX

Capitulum Documenti Pastoralis adversùs obsequiosi silentii defensionem.

PRIMA PARS.

PARS ALTERA.

PARS TERTIA.

PARS QUARTA.

INDEX.

PRIVILEGE DU ROY.

LOuis par la grace de Dieu Roy de France & de Navarre : A nos amez & féaux Conseillers les Gens tenans nos Cours de Parlement, Maîtres des Requêtes ordinaires de nôtre Hôtel, Grand Conseil, Prevost de Paris, Baillifs, Senéchaux, leurs Lieutenants Civils ; & autres nos Iusticiers qu'il appartiendra SALUT. Nôtre tres-cher & bien amé *le Sieur de Salignac de Fenelon Archevêque de Cambray*. Nous a fait exposer qu'il auroit besoin de nos Lettres de Privilege pour l'Impression des usages de son Diocese qu'il Nous supplioit de lui accorder. Nous avons permis & permettons par ces presentes audit Sieur Archevêque de Cambray de faire Imprimer par tel Imprimeur qu'il voudra choisir, tous les *Breviaires, Missels Diurnaux, Antiphoniers, Graduels, Processionnaux, Epistoliers, Pseautiers, demi Pseautiers, Heures, Catechismes, Ordonnances, Mandemens, Statuts Synodaux, Lettres Pastorales, & Instructions à l'usage de son Diocese*, & de les faire vendre par tout nôtre Royaume pendant le tems de dix années consecutives, *à compter du jour de la date des presentes* : Faisons deffense a tous Imprimeurs, Libraires & autres, de contrefaire aucun desdits livres en tout ni en partie, & d'en vendre d'autre Impression que celles qui auront été faites du consentement dudit Exposant ou de ceux qui auront droit de lui, à peine de confiscation des Exemplaires, & de trois mille livres d'amende contre chacun des Contrevenans applicables, un tiers à Nous, un tiers à l'Hôtel-Dieu de Paris, & l'autre tiers audit Exposant, & de tous dépens, dommages & interêts. A condition que ces Presentes seront enregistrées és Registres de la Communauté des Imprimeurs & Libraires de Paris ; que l'impression de ces livres sera faite dans nôtre Royaume & non ailleurs, & ce en bon papier, & en beaux caracteres, conformement aux Reglemens de la Librairie ; & qu'avant

de les exposer en vente, il en sera mis de chacun deux Exemplaires en nôtre Biblioteque publique, un dans le Cabinet des Livres de nôtre Château du Louvre, & un en celle de nôtre tres-cher & feal Chevalier Chancelier de France le Sieur Phelypeaux Comte de Pontchartrain, Commandeur de nos Ordres, le tout à peine de nullité des Presentes : Du contenu desquelles vous mandons & enjoignons de faire joüir l'Exposant ou ses ayans cause pleinement & paisiblement, sans souffrir qu'il leur soit fait aucun trouble ou empêchement. Voulons que la copie desdites Presentes, qui sera imprimée au commencement ou à la fin desdits ouvrages soit tenuë pour dûement signifiée, & qu'aux Copies collationnées par l'un de nos amez & feaux Conseillers & Secretaires foy soit ajoutée, comme à l'original. Commandons au premier nôtre Huissier ou Sergent de faire pour l'execution desdites presentes tous actes requis & necessaires, sans demander autre permission, & nonobstant clameur de haro, chartre Normande, & lettres à ce contraires : Car tel est nôtre plaisir. DONNE' à Versailles le vingtiéme jour de Iuillet, l'an de Grace mil sept cens quatre, & de nôtre Regne le soixante-deuxiéme. *Signé*, Par le Roy en son Conseil, ANTHOINE.

Registré sur le Livre de la Communauté des Libraires & Imprimeurs de Paris, n. 159. *page* 489. *conformément aux Reglemens, & notamment à l'Arrêt du Conseil du* 13. *Août dernier. A Paris ce* 19. *Mars* 1705. *Signé*, P. EMERY, *Syndic.*

Ledit Seigneur Archevêque a choisi pour son Imprimeur GABRIEL FRANÇOIS HENRY Libraire de Valenciennes, pour s'en servir tant qu'il le jugera à propos, & non autrement.